

Item vvard gevraget, vve vor dat vorfding vvorde geladen, unde vorekumpt, iche heok schole antvorden.

Respondebatur ei sic.

Anno Domini LIII. Des donnersdages in deme hilgen vvynachten, vvard gevraget eines ordels van Tylen Timmermans: oft vveydelude tvve swine vengen, unde der jeger ene ene schulderen to jaget rechte geve den Heren, vvat de vorboret hedde, de van den anderen swine neine schulderen gegeven en hedde. Dusse vrage en is by langer tid vor deme vorfdinge nicht gevraget, unde de Rad vvel sek darupp bedencken, vvente to den negellen vorfdinge.

Anno LIII. des dingstages in deme paschen vragede Tile Tymmerman eines ordels: oft ein berchvverk annemen, eder untfangen vvolde, oft de des nicht untfangen scholde, eder dat foken vor der Herschop tho Brunsvig, eder vor des rikes gerichte, do vvard desulve gevraget vvur dat berchvverk belegen vvere; desulve brochte in; dat Berchvverk leghe an deme Rammesberge. Darup antworde de Rad ny unde old unde leten seggen: se en bekenden noch enstunden der Herschop van Brunsvik mit alle neyner rechticheyt noch berchwerkes.

XXII.

CHRONICA S. ÆGIDII IN BRUNSWIG,

In hac compilatione qua de diversis excerpta est, videlicet de Jure Canonico, de Ecclesiastica Historia de Orosio, de Chronicis Eusebii, Hieronymi, & aliorum, de libro qui dicitur Gemma animi, de Opusculo quod vocatur ordo Romanus; ostenduntur legere volentibus aliqua de gestis sive statutis Romanorum Pontificum, & de statu bonorum vel malorum Imperatorum; insuper quibus qui successerint tam in sede Apostolica, quam etiam in Romana Republica; praterea quibus qui memorati Principes contemporanei fuerint, à beato Petro Apostolo & Cesare Augusto, usque ad annum Domini M. CCCC. LXXXIV.



Ab orbe condito usque ad diluvium fuerunt duo millia annorum: à diluvio usque ad urbem Romam conditam fuerunt duo millia annorum CCCC. LXXXIV.

Anno post everfionem Trojæ CC. XIV. urbs Roma à Romulo & Remo fratribus geminis condita est. Ab urbe Roma condita usque ad Nativitatem Domini nostri Jesu Christi fluxerunt anni DCC. XV. Colligimus autem ab origine mundi usque in adventum Domini annos V. millia CXCIX, ante Jesum CC. minus uno millia quinque,

De urbe Romana condita post destructionem Troja.

Postquam per decennem obsidionem illa formosa (a) Troja à Græcis destructa: tunc Aeneas à Troja transivit in Italiam. Itaque Romulus, interfecto primum avi sui fratre Amulio, de hinc fratre suo Remo, arripuit imperium, urbemque constituit. Iste Romulus de stirpe Eneæ sceleratorum manum promissa impunitate collegit: assumptis semel armis nunquam quietus fuit. Tandem Romulus fulmine interiit.

Anno post urbem conditam CC. XLIV, quibus Roma gubernatur per reges: tunc regibus urbe pulsis, Romani ad consulendum sibi Consules & Dictatores, de hinc Proconsules & Senatores creaverunt. Jam hinc Romani incessabilia certamina & juxta quantitatem virium suarum semper gravia bella omnibus nationibus intulerunt. In uno prælio Carthaginensium XX. millia cæsa sunt: CIV. elephanti capti sunt, & per Italiam ducti magnum gentibus spectaculum præbuerunt. Per annos prope DCC. usque ad Cæsarem Augustum una tantummodo æstate Romani non bellaverunt. A Romanis de exercitu Gallorum apud Rhodanum CL. millia cæsa sunt, & merca IV. millia. Italici viri in una cæde profugi, jugum montis coacto in unum agmine adscenderant. Ubi oppressi animabus (b) & mortui miserabiliter riguerunt. Nam ita ut attoniti timore hostili steruerunt lapidibus, alii stipitibus velut reclives; alii armis suis innitentes patentibus oculis dentibusque nudatis in modum viventium videbantur; nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium. Senatus Crassum consulem cum legionibus misit, qui cum aggredere bellum, Gallos & Germanos superavit. Nam eorum LX. millia cæsa sunt, & VI. millia capta, & III. millia de Romanis cæsa sunt. Consules quidam à Romanis missi in Africam contra Hannibalem: in ea pugna XLIV. millia

(a) f. famosa (b) f. a nivibus

millia Romanorum interfecti sunt, I. senatorum ac nobilium & militum. Hannibal in testimoni-
um victoriæ suæ tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfe-
ctorum Romanorum detraxerat. Regulus consul Romanorum bellum contra Carthaginenses
sortitus cum exercitu suo non procul à flumine quodam castra constituit. Ubi cum plurimos mili-
tes agvandi necessitate ad fluvium descendentes serpens miræ magnitudinis devoraret: Regulus
consul cum toto exercitu suo ad expugnandam bestiam protectus est. Sed cum nihil intergo ejus
telorum jacula proficerent: (nam perhorrendam squamarum cratem per obliquum habebat) in-
super cum magnam multitudinem militum communi impetu terribilem proteri, anhelitu ejus
quoque pestifero exanimari videret; totis viribus pugnavit. Vix tandem in luto (a) certamine
victus serpens saxi & telis oppressus est. Corium ejus Romam deductum CXX. pedum spatio,
cunctis mirabile, fuit.

Item de urbe Roma & Romanis.

Anno ab urbe condita CCCL, Roma X. annis continuis obsessa est. De hinc irruptio Gallo-
rum & incendium urbis insequitur. Galli extincto populo urbeque deleta ipsum quoque no-
men Romæ in extremis cineribus persequuntur. Et Gothi simili modo Romam persequuntur,
cum super humanas vires esset intendere aeneas trabes, & subruere moles magnarum structurarum.
Diris tunc Romani prodigiis territi sunt. Tunc nox usque ad primam partem portendi iussa est,
& de nobilibus descendentes veri lapides terram verberabant. Quibus etiam diebus Alexander
Magnus ille gurgis miseriarum natus est. In medio urbis aperta est terra, & hiantia inferna pa-
tuerunt. Manebat diu ad spectaculum & terrorem Romanorum illa vorago impudens, nefariam-
que voluntariam unius hominis sepulturam diis interpretibus expetebat. Satisfecit improbis fau-
cibus Marcus vir eque, armatus iniecit se, & sic vorago clausit se.

Sol visus est in cælo pugnasse cum Luna: inde viderunt duas Lunas ortas. Visum est
cælum scindi magno hiatu. Duo scuta viderunt sanguinem sudasse.

De insula Vulcania.

Anno ab urbe condita D XLVI, in Sicilia Vulcania quæ ante non fuerat, repente in mari eru-
ta est: omnium admiratione usque nunc manet.

De primo Cæsare.

Illius primus Cæsar, postquam regnavit V. annis, à Romanis occiditur: ab isto omnes dicti sunt
Cæsares.

De Cæsare Octaviano sive Augusto.

Anno ab urbe condita D CCX, Octavianus Cæsar post Julium Cæsarem primum regnare cœ-
pit, & regnavit annis LVII. Hic urbem Romam & Rempublicam præ omnibus sublimavit.
Ab isto omnes alii Imperatores dicuntur Augusti. Quintilius Varus consul missus ab Augusto
cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus funditus deletus est. Quod tandem Augustus
adeo tulit graviter, ut sæpe præ dolore caput parieti collidens clamaret: Quintili Vare redde le-
giones. Sed Tiberius privignus Cæsaris Augusti Germanos bello arripuit, ex quibus XL millia
adduxit. Quod revera maximum bellum XV. legionibus per triennium gestum est. Hujus Octa-
viani Cæsaris Augusti anno XLI. Cirinus præses ex consilio senatus ad Judæam missus à Cæsare cen-
sus hominum & possessionum descripsit. Ille Augustus Cæsar erga cives extitit clementissimus,
in amicos fidissimus, liberalibus studiis tantum intentus, ut nullus in procinctu laboraretur dies,
quin legeret, scriberet, dictaret leges alias novas. Alias protulit suo nomine correctas. Item
auxit & ornavit Romam multis ædificiis. Isto gloriens dicto: Romam latericiam reperi, marmo-
ream relinquo. Fuit mitis & gratus & civilis animo, toto corpore pulcher. Sed maxime oculis,
quorum acies clarissimorum siderum modo vibrabant. Nectamen hic tantus vir vitiis caruit. Fu-
it enim paululum impatiens & iracundus, occulte invidus, palam fastidiosus, dominandi, vix
supra quam æstimari potest, cupidus, aleæ lusor studiosus, serviebat libidini. Erat tamen vi-
tiorum severissimus ultor.

Anno Octaviani Cæsaris Augusti XLII. quum firmissimam pacem cum omnibus gentibus
ordinatione Dei Augustus composuit, & pace illa durante XII. annis, nascitur in Bethleem ex
Maria virgine Dominus noster Jesus Christus, verus Deus & verus homo, cui pax illa famulaba-
tur. Imperator Augustus se Dominum appellari dato edicto omnibus inhibuit. Circulus ad cœ-
lestis arcus speciem sereno tempore apparuit orbem ambiens. Templum Palladis miræ structuræ
in nocte

(a) Longe.

in nocte nativitatis Domini Romæ corruit. Sic enim Dii prædixerant. Templum hoc corruet, quando virgo pariet. Fons olei largissimus ibi usque in Tiberim per totum diem fuit. Augustus XXX. millia servorum dominis restituit, XX. sibi retinuit, VI. millia quorum dominum exibat, in crucem egit. Item LXXIII. legiones solus imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuit, & ovans ingressus urbem Romam, omnia priora debita vel tributa populi donanda in literis suis censuit. Et ab eo exit edictum, ut describeretur universus orbis. Augustus Rempublicam quam bello acquisierat, pace nutrire & amplificare studens leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reverentia mortem disciplinæ gereret. Sed potentissimæ illæ quondam humanæ reipublicæ moles, nunc magis imbecillitate propriæ senectutis, quam alienis concussæ viribus contremiscunt.

Anno incarnationis Domini III. Herodes Rex occidit infantes.

Anno Domini VI. malâ morte moritur Rex Herodes Ascalonita. Post hoc revertitur Christus de Ægypto.

Anno Domini XIV. Octavianus cum Tiberio censum Romæ agitans, invenit nonagies trecentena millia hominum & LXX. millia hominum.

Anno Domini XV. qui est imperii Augusti LVII. ipse Augustus in Campania morbo moritur, ætatis suæ anno LXXV. Alibi legitur, quod ipse Augustus veneno interiit. Quem mortuum Senatus multis modis honorandum censuit, dicentes: Utinam aut non nasceretur, aut natus non moreretur.

De Tiberio Cæsare.

Anno Domini XVI. Tiberius privignus Cæsaris Augusti regnare cœpit, & regnavit annis XXIII. Iste fuit satis prudens in armis, habens scientiam literarum, præclarus eloquio, sed ingenio pessimo, avarus, insidiosus, simulans se velle quod nollet, & ea nolle quæ vellet.

Anno Domini XXVII. Pilatus à Tiberio Cæsare præfès Judææ mittitur. Iste Tiberius lepra infectus, audita fama Jesu, Albanum quendam Pilato transmisit pro Jesu medico. Tunc Albano ostensa est quædam nobilis matrona nomine *Peronica*, quæ illi omnia facta de Jesu verissime narravit, addens insuper de imagine vultus Domini impressa. Quo audito, Albanus gavius, ipsam matronam cum imagine Salvatoris Romam duxit Tiberio Cæsari, qui visa imagine sanitatem recepit.

De Joanne Baptista.

Anno Domini XXX. Joannes baptizare cœpit, & Dominum Jesum in Jordane baptizavit, & cœpit Jesus signa facere, & docere, & prædicare.

Anno Domini XXXI. Dominus discipulos elegit.

Anno Domini XXXII. discipuli Domini Jesu per Judæam verbum Dei prædicant. Joannes decollatur.

Anno Domini XXXIII. ipse Dominus Jesus Christus passus est, & resurrexit, & ascendit ad cœlos, & Spiritum sanctum misit super CXX. discipulos tempore Tiberii Cæsaris imperii.

Anno eodem, beatus Stephanus à Judæis in Hierusalem lapidatur.

Anno Domini XXXIV. Jacobus frater Domini Hierosolymis Episcopus ordinatur ab Apostolis, seditque annis XXX. & Saulus conversus factus est Paulus. Post ascensionem Domini Thaddæus Apostolus missus à Domino, profectus est in Edissam civitatem, ubi Abagarum regem infirmum curavit. & cum & omnes baptizavit.

Epistola Pilati.

Anno Domini XXXVII. Pilatus ad Tiberium Cæsarem scripsit de passione & resurrectione Domini & virtutibus ejus, per quas crescente plurimorum fide Deus crederetur: Tiberius audiens de Christi passione & resurrectione, & de virtutibus quæ per ipsum & discipulos ejus fiebant, cum magni favori suffragio retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus tum indignatione motus, cur non sibi secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu Christi prius ipse Senatus decerneret; consecrationem recusavit. Hoc pro vera voluntate Dei factum esse divina virtus humanis putaretur assertoribus indigere. Iste Tiberius cum magna modestia præfuit reipublicæ: dicens Boni pastoris esse pecus tondere, non excoriare. Amphiteatri pars, populo spectante gladiatorum congressum, collapsa est, & plus quam XX. millia hominum occidit.

Anno Domini XXXVIII. Cajus Caligula suscepit imperium, & regnavit annis tribus, mensibus decem. Hic fuit frater Tiberii Cæsaris. Iste nequam & flagitiosissimus fuit. Nam in palatio matronas nobiles publice libidini subjecit, & tribus sororibus stuprum intulit, ex una earum natam filiam etiam defloravit. Hic primus diademate imposito Dominum se appellari jussit, & in Deorum numero se inferri præcepit.

De

De morte Pilati.

Anno Domini XLI. Pilatus præses à Cajo Imperatore multis calamitatibus oppressus, seipsum interfecit, & corpore ejus in Tiberim præcipitato, spiritus maligni corpus ejusdem rapientes, nunc in aquis eisdem inundationes moverunt, nunc in aëre è collisione nubium fulgure & tempestate, grandine & tonitruis mentes hominum terruerunt. Quapropter à Tiberi fluvio resumptus in Galliis apud Viennam Rhodano fluvio immergitur. Viennenses autem aëris intemperiem & malorum spirituum non sustinentes importunitatem, substantiæ (a) corpus à se removerunt, & in vicinis alpibus in quodam puteo submerferunt.

De morte sanctæ Mariæ Virginis.

Anno Domini XLIII. gloriosa Regina mundi exultantibus angelis in cælum est assumpta; anno ætatis ejus (ut quidam tradunt) LV. anno vero à passione Domini IX. Symbolum ab Apostolis compositum est. Matthæus Evangelium scripsit Hebraice. Et Cæsar Imperator à militibus occiditur in palatio: in cujus arca diversa venena inventa sunt; quibus in maria projectis, maria infecta sunt, & multitudo piscium mortua est.

De Claudio.

Anno Domini XLI. Claudius imperium adeptus, & regnavit annis XIII. Hic filius Drusi principis Augusti apud Moguntiam habet sepulturam.

Anno Domini XLIV. Apostoli in totum orbem divisi, anno à passione Domini XII. ut Beada scripsit.

Anno Domini XLVI. primus Episcopus post Petrum Antiochiæ ordinatur Evodius. Hoc anno Jacobus frater Joannis Evangelistæ creditur decollatus ab Herode Agrippa in Hierusalem. Cujus corpus per Hermogenem & Philetum ipsius discipulos in Hispaniam, ubi ipse prius prædicaverat, cooperante Dei gratia translatus est.

Anno Domini XLVI. facta est gravissima fames per Syriam: quod etiam Agabus Prophetæ prædixerat, ut in Actibus legitur. Hoc anno Petrus Apostolus, primus papa, venit Romam, Claudii imperatoris anno IV. Marcus Evangelista Alexandriam petiit.

Epistola Jesu Christo missa.

Exemplar epistolæ scriptæ à rege Abagaro, Toparcha Edissæ civitatis ad Jesum Christum, & missæ Hierosolymam per Ananiam cursorem. Abagarus Rex Toparcha, Vehaniæ filius, Jesu salvatori bono qui apparuit Hierosolymorum, salutem. Auditum mihi de te est, & de sanitatibus quas facis, quod sine medicamentis & herbis per te fiant ista, & quod verbis tantum facis cæcos videre, claudos ambulare, & leprosos mundas, & immundos spiritus demones ejicis; ut eos qui longis ægritudinibus fatigantur, curas & lanas, mortuosque sulcitas. Quibus omnibus auditis, de te statui in animo meo unum esse è duobus: aut quod tu sis Deus, & descenderis de cælo & facias, aut quod filius Dei sis qui hæc facis. Propterea ego rogavi te scribens, ut digneris usque ad me fatigari, & ægritudinem meam quæ diu laboravi, curare. Nam illud comperi, quod Judæi murmurant adversum te, & volunt tibi insidiari. Est autem mihi civitas parva sed honesta, quæ sufficit utrisque.

Exemplar Responsionis Jesu Christi per Ananiam cursorem ad Abagarum Toparcham regem Edissæ.

Beatus es qui credidisti in me, cum me ipse non videris. Scriptum est enim de me, quod hi qui vident me non credent in me, & qui non vident me, ipsi credent & vivent. De eo autem quod scripsisti mihi ut veniam ad te: oportet me omnia propter qui missus sum, hic explere, & postea quam explevero, recipere me ad eum à quo missus sum. Cum ergo fuero assumptus, mittam tibi aliquem ex discipulis meis, ut curet ægritudinem tuam, & vitam tibi atque his qui tecum sunt præstet, & civitati tuæ, & nullus adversariorum vos unquam exsuperare possit. Postea vero quando assumptus est Jesus, misit ei Thaddæum Apostolum, qui complevit omnia quæ ipsi regi promiserat Dominus Jesus Christus per epistolam. Hæc in primo libro ecclesiasticæ historiæ habentur.

Epistola Pilati ad Claudium.

Cum Romæ disceptat Petrus Apostolus coram Nerone cum Simone Mago, hæc epistola Pilati vivante Petro coram Nerone recitata est, jubente & audiente Nerone imperatore, sicut legitur in legenda Apostolorum Petri & Pauli.

B b b b

Pontius

(a) Pro substantiæ leg. supernatans.

Pontius Pilatus Claudio suo salutem. Nuper accidit, & quæ ipse probavi Judæos se suæque posteros per invidiam crudeli damnatione punisse. Denique cum promissum haberent patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret filium, qui eorum Rex merito diceretur & esset, & hunc se promitteret per virginem missurum ad terras Hebræorum. Igitur Deus cum esset, & vidissem eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse suis pedibus super undas maris, & multa alia miracula fecisse, cum omnis populus Judæorum hunc Dei filium dicerent: invidiam contra eum passi sunt principes sacerdotum, & tenuerunt eum, & mihi tradiderunt, & alia pro aliis mihi mentientes dixerunt, hunc esse magum, & contra legem agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi arbitrio eorum: illi autem crucifixerunt eum, & sepulto custodes adhibuerunt. Ille vero militibus meis custodientibus die tertio surrexit. In tantum autem exarsit invidia eorum, ut darent pecuniam eis dicentibus: Dicite: discipuli ejus corpus ejus rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt. Nam illum resurrexisse testati sunt, se vidisse, & à Judæis pecuniam accepisse. Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiat, & æstimet credendum mendaciis Judæorum. Cumque perlecta fuisset epistola, Nero dixit: Petre si ista quæ scripsit Pilatus Claudio, vere ita se habent? Et Petrus cum Paulo: Ita vere se habent omnia bone imperator. Sancti Apostoli præ omnibus ecclesiis dedicaverunt primo ecclesiam Diospolin in honore Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Dei genitricis Mariæ virginis, sed nullius hominis manu facta, & tamen quasi carnea. Item in sancta ecclesia Gethsemani quæ fuit in valle Iosaphat, non longe à Diospoli imago sanctæ Dei genitricis Mariæ virginis similiter apparuit picta, sed à nullo homine facta. Item in Sardinia imago beatæ virginis est, quæ circa ubera videtur carnea, & singulis Sabbatis defudat oleum, ut dicitur.

Anno Domini LVI, Claudius imperator veneno interiit. Petrus Apostolus in terra sancta à passione Domini mansit quinque annis, & sedit Antiochiæ XII. annis. Videtur V sub Tiberio, IV. sub Cajo, & III. sub Claudio, Sic XIII. anno à passione Domini Petrus Apostolus venit Romam, & sedit tibi XXV. annis. Et nota, quod nullus papa postea sedit tot annis. Petrus in Antiochia, ut scribit beatus Gregorius in Registro, primam Missam cum orationibus celebravit, scilicet cum Pater noster, & cum forma verborum, in quibus est vis conficiendi. Petrus à paganis captus, & ad ludibrium Christianorum barba rufus, & capite decalvatus, & in gyrum actonius: & hoc deinceps ipse in mysterio in ecclesia fieri instituit. Petrus Antiochenam ecclesiam, ut fidelis servus & prudens, fundavit: quæ habuit postea Domino disponente sex archiepiscopatus, & CLIII. episcopatus.

De Nerone.

Anno Domini LVII. Nero sumit imperium, & regnavit annis 14. Hic Nero imperator sceleratissimus suis, plurimam Senatorum partem interfecit, urbem Romam per sex dies & noctes incendit, ut quale fuisset incendium Troiæ videret. Ipseque stans in altissima turri perspectans latus flammæ canebat. Porro libidinibus tantis est agitata, ut ne à matre sua quidem, vel sorore sua ullave consanguinitatis reverentia temperaret vel referatur * abstinuisset virum cum uxore duxit. Seneca magister Neronis jubente Nerone elegit mortem sibi incisione venarum. Primus persecutionem in Christianos movit, & per omne regnum suum ipsum nomen Christianorum deletere voluit. Jubente Petro, Simon Magus à dæmonibus qui eum per aera portabant, coram Nerone derelictus, corruens, Romæ contractus est. Hic Nero Petrum crucifixit & Paulum decollavit Romæ uno eodemque die.

Anno Domini LXX, tunc & ipse Nero à Senatu condemnatus se ipsum interfecit. Sed alibi legitur, quod fugiens Nero fame & siti in sylva obrigit, & à lupis devoratus est. Sanctus Ignatius, qui etiam cum ipsis Apostolis degebat, ordinatur Antiochiæ Episcopus à sancto Petro post Evodium. In Antiochia discipuli Christiani dicti sunt. Tunc primo in Antiochia per S. Ignatium & per cantum angelorum Antiphonæ initium habuerunt, & exinde ad cunctas exivit ecclesias cantare antiphonas. Petrus Apostolus primus papa instituit plurimas, scilicet in Asia, Italia, Gallia, Germania, Hispania, Africa, Sicilia, ecclesias, & multos ordinavit Episcopos, presbyteros & diaconos. Quis nesciat. Per Clementem ipse Petrus pontificalia ornamenta & sacerdotalia & altaria ordinavit. Per impositionem manus ipse Petrus primo dedit Spiritum sanctum & hoc Episcopis tradidit faciendum, & constituit corpus Domini à jejunis sumi, exceptis ægrotis, & quod corpus Domini dividatur in altari. Linus papa à S. Petro ordinatus, & coadiutor Petri sedit an 12. Passus est Romæ sub Nerone. Hic jubente S. Petro constituit, ut velato capite mulier intret ecclesiam.

Cletus papa ordinatus est à S. Petro, & coadiutor Petri sedit annis 13. Passus est sub Nerone. Hic jubente S. Petro constituit & ordinavit XXV. presbyteros in urbe Roma. Petrus instituit Maternum, & Valerium, & Eucharium prædicare verbum Dei citra montes nationibus, quorum primus suscitatus est cum XL. dies mortuus fuisset per baculum missum à Petro Apostolo: unde papa non utitur baculo.

Anno Domini LXIII, Jacobus Apostolus frater Domini in Hierusalem præcipitatur, & per-rica fullonis occiditur, postquam ecclesiam Hierosolymitanam rexerat 30. annis. Et Symeon in locum ejus ab Apostolis substituitur. Matthias eodem anno lapidatus & securi percussus marty-rium complevit.

Anno Domini LXIV, Marcus Evangelista & Patriarcha Alexandria passus est.

Anno Domini LXXI, Galba & Vitellius imperium adepti regnaverunt anno uno. Iste Vi-tellius imperator in Tyberi ab hostibus submersus est. Otto imperium fraudulenter est adeptus. Hic Otto Galbam imperatorem in foro decollavit. Otto regnavit mensibus 4, & se interfecit. Isto tempore sedit Clemens papa secundus post Petrum annis 19. mensibus 2. Hic Clemens fuit institu-tus à S. Petro in successorem X. q. l. te quidem: sed Clemens successorem papam non instituit. In hoc videtur, quod Clemens electionem papæ instituit, sicut Petrus Apostolus ecclesiæ tradidit, & de azymo pane confecit. ita Clemens papa & sacrosancta ecclesia Romana contexit, ita hucusque invariabiliter servavit. Hic Clemens papa post passionem Apostolorum Petri & Pauli direxit S. Dionysium Areopagitam in Gallias ad prædicandum verbum Dei. Missi à Petro sederunt Episco-pi Apollinaris in Ravenna, Demonico in Aquitania, & Lazarus quem suscitavit Dominus in Mar-silla. Duæ quoque sorores ejus apud ipsum multas animas Deo lucratae sunt. Beata Martha mul-tis videntibus in Cerasconia posita est in sepulchro, ab ipso Domino Jesu Christo & Episcopo quodam nomine Fronto. In hoc Dominus suam hospitam honoravit. Hic Clemens papa XII. regiones Notariis commisit, qui fideliter gesta martyrum conscriberent. Et constituit sententiam excommunicationis in contumaces & inobedientes, sicut à beato Petro & Apostolis traditum est ecclesiæ. Constituit etiam, ut doctores studium habeant in ecclesiis. Et constituit, ut Episco-pi habeant archidiaconos, qui sint oculi Episcoporum. Hic Clemens papa tradente beato Petro Apo-stolus sacrarum vestium ex lege sumit ad celebrandum missas: pontificalem baculum, annu-lum, pallium & cæterarum rerum dedit formam, & servari censuit. Tempore Clementis Vespasia-nus, & Titus, & Domitianus, Cæsares fuerunt. Clemens papa merus est cum anchora. Passus est sub Trajano vel Domitiano in Græcia. Unde mirabilis Deus in Sanctis suis dedit ei habitaculum in mari, in modum templi marmorei angelicis manibus præparatum, ita præbens populo terræ tem-pore opportuno.

Anno Domini LXXII, Vespasianus imperium adeptus, regnavit annis 9, & profluvio ventris mortuus est. Hic militari virtute præcipuus, & optimis comparandus, inimicitias in corde non retinuit. Hic Vespasianus imperator quoddam genus vermium habens in naribus audivit de Je-su Christo, quod magnus fuisset medicus, sed à Pilato occisus; credit eum filium Dei, & ab eo pos-se sanari, & statim sanatus fuit. Tunc exposuit de excidio Judæorum. Vespasianus imperator Hierosolymam obsidens, mortuo Nerone imperator creatus est.

Excidium Hierosolymæ.

Anno Domini LXXIII, Hierosolyma à Tito imperatore filio Vespasiani capitur, & capta civitate Hierusalem Titus sumptum Manna de templo Romam perduxit. Ibi in subversione Hierusalem Titus DC. millia Judæorum interfecit. Josephus vero unus ex Judæis qui tunc ibidem bello præ-fuit, scribit undecies centena millia Judæorum ibi fame & gladio interiisse, & C millia Judæorum captivorum publice venundata fuisse. Oportuit autem, ut iisdem diebus Paschæ interficerentur, quibus ipsum salvatorem nostrum Jesum Christum interfecerunt. Hæc subversio Hierosolymo-rum facta est anno ab exordio Evangelicæ prædicationis XXII; anno vero à Dario rege sub quo re-ædificatum templum, DXX; à prima autem ædificatione templi sub Salomone anno MCII.

De Tito.

Titus imperator post patrem suum Vespasianum regnavit annis 2, & morbo mortuus est. Iste Ti-tus in Græca & Latina lingua disertissimus, bellicosissimus, moderatissimus, omniumque ge-neris virtutum mirabilis, adeo ut amor & delicia generis humani diceretur; tantæ vero largitatis erat, ut nulli à se petenti aliquid negaret.

Anno Domini LXXXIII, Domitianus frater Titi imperium adeptus regnavit annis 16. Hic Nerone similior, quam Tito fratri suo. Hic secundam persequutionem post Neronem movit in Christianos, & Joannem Apostolum in Patmon insulam relegavit, ubi & Apocalypsin scripsit. Iste Domitianus imperator omnibus odiosus conjuratione suorum occisus est.

Anno Domini LXXXIX, Anacletus papa, tertius à sancto Petro ordinatus, sedit annos 9. & menses 2. Hic constituit, ut quilibet episcopus non minus quam à tribus Episcopis ordinetur, sicut habuit in Actibus à S. Petro. Hic constituit in Missa dici Pax vobis, & Dominus vobiscum & cum Spi-ritu tuo, & Amen. Et constituit, ut Episcopi jejuni ordinent clericos cum Missa. Et constituit, ut clericus non comam mittat nec barbam, sicut & Petrus instituit. Passus sub Trajano.

Anno Domini XCIX, Nerva suscepit imperium, & regnavit anno I, & morbo interiit. Hic ex decreto totius Senatus constituit, irritum fieri quicquid Domitianus fieri jufferat, & edicto suo omnes exules revocavit: unde & S. Joannes Apostolus ab exilio reductus in Ephesum, rogatus ab Episcopis Asiae, Evangelium scripsit contra haereticos.

Anno Domini C, Trajanus, genere Hispanus, in Colonia Agrippina civitate factus imperator, regnavit annis 19, & profluvio ventris interiit. Pro anima istius salvanda beatus Gregorius papa suppliciter intercessit: ad cujus preces & lachrymas Deus posuit animam suam in meliorem locum. Tempore hujus Trajani, Joannes in Epheso obdormivit in Domino, anno à passione Domini LXXIII, anno virae suae LXXXVIII. Iste Trajanus rempubl. ita administravit, ut omnibus principibus merito praeponebatur. Iste fuit laboris patiens, justitiae & juris tam repertor quam custos. Hunc cum amici culparent, quod nimium clemens esset erga omnes, respondit: Talis imperator debet esse erga omnes subiectos, quales erga se imperatores optaret esse ipse privatus. Hic Trajanus postea errore deceptus persequutionem movit in Christianos.

Anno Domini CIII, Evaristus papa à Petro IV. ordinatur. Hic titulos in urbe Romana divisit cardinalibus, presbyteris, & diaconis, & VII. diaconos ordinavit, qui custodirent papam praedicantem populo stilum veritatis. Hic passus est sub Trajano imperatore, & Symeon quoque crucifixus est CXX. annorum, & Ignatius Episcopus Antiochia bestiis traditus. Hic Evaristus sedit annos 9, menses 10.

Anno Domini CXI, Alexander papa à Petro V. ordinatur. Hic addidit in missa *Qui pridie*, & constituit vinum in missa cum aqua misceri. Hic constituit sal & aquam aspersurus in Dominicis diebus. Hic sedit annis X, mensibus VII. Passus est sub Adriano imperatore. Iste etiam Alexander papa constituit fieri in Canone commemorationem Dominicae passionis. Temporibus hujus papae Helius Adrianus imperium tenuit, & regnavit annis 20. Fuit autem de Asia civitate, eruditissimus & facundissimus in philosophia & musica & geometria. Iste Hierosolymam à Tito & Vespasiano destructam in meliorem statum, in eoloco ubi crucifixus est Dominus extra portam restauravit, & Heliam de suo nomine vocavit. Hic persequutionem in Christianos movit. Igitur primam Nero, secundam Domitianus, tertiam Trajanus, quartam vero movit Helius Adrianus. Hic rempublicam laudabiliter rexit & obiit.

Anno Domini CXXI, Sixtus papa VI. à Petro ordinatus, sedit annis 10, mensibus 5. Passus est sub praefato Adriano.

Anno Domini CXXXI, Telesphorus papa VIII. à Petro ordinatus, sedit annis II, mensibus 5. Hic constituit III. Missas in Nativitate Domini sollemniter celebrari propter tria tempora, scilicet Antequam legem, Sub lege, & Sub gratia, & unam ex ipsis in nocte, & tunc cantari *Gloria in excelsis*. Hic etiam constituit, ut XL. fieret ante Pascha. Passus est sub praefato Adriano.

Anno Domini CXL, Hyginus papa à Petro VIII. sedit annis 4, mensibus 1. Hic clerum constituit & gradus distribuit. Passus est sub Antonino imperatore.

Anno Domini CXLIV, Pius papa IX. ordinatus, sedit annis 15, mensibus 4. Isti ab angelo nuntiabatur, quod Pascha die Dominico celebrandum sit. Passus est sub Antonino imperatore. Iste Pius papa constituit sententiam excommunicationis in violatores & vastatores ecclesiae & rerum ecclesiasticarum. Constituit etiam, ut clerus qui suo episcopo insidias paravit, depositus curiae tradatur.

Antoninus imperator qui & Pius dicebatur, regnavit annis 20. Isti Justinus philosophus & brum pro Christiana religione compositum obtulit, eumque benevolam erga Christianos fecit. Iste Antoninus bene Rempublicam administravit, & obiit.

Anno Domini CLIX, Anicetus papa à Petro X. ordinatus, sedit annis II, mensibus 6. Hic constituit, ut clerici habeant coronas in modum sphaerulae, & quod comam non nutriant. Passus est sub Marco Antonino.

Anno Domini CLXIX, Soter papa XI. ordinatus, sedit annis 9, mensibus 7. Hic constituit, ut monacha velum portet, & nulla foemina ministret presbytero ad altare, & quod nulla foemina apud aliquem clericum de quo suspicio haberi possit, in hospitio maneat: quod si fecerit, excommunicetur. Sub isto papa sedit Theophilus Antiochia Episcopus, vir sapiens. Passus est sub Antonino & Marco.

Anno Domini CLXXVII, Eleutherius papa XII. à S. Petro ordinatus, sedit annis 15, mensibus 9. Hic constituit diem Paschae die Dominico celebrari: item quod nulla esca usualis à Christianis repudiaretur quam Dominus creavit, quae tamen humana est, non decarnibus porci. 1. Tim. 4. Abstinentes à cibis quos Deus creavit. Aurelius imperator usum porcinæ carnis populo instituit. Ad Eleutherium Lucius Rex Britanniae scripsit literas, rogans ut baptizaretur: quod & factum est. Passus est sub Antonino & Polycarpus, & multii alii apud Viennam & Lugdunum. Iste imperator vocabatur ANTONINVS MARCVS VERVS, & regnavit annis 19. Per apoplexiam interiit. Iste nobilissimus fuit: Iste omnes virtutes & caeleste ingenium habuit, & in calamitatibus publicis factus est quasi defensor, & si ipse in illis temporibus non fuisset, gloria Romana periisset. Iste Antoninus Severum consortem imperii fecit. Hic Anton. Marcus Verus persequutionem in Christianos movit quintam.

Anno Domini CXCI, Victor papa à Petro XIII. ordinatus, sedit annis II. Hic constituit, sicut & prædecessor Eleutherius, Dominica celebrari Pascha à XIV. Luna mensis primi Martii usque in 21. Passus est sub Antonino Commodo Aurelio. Iste ANTONINVS COMMODVS imperator regnavit annis 12. Iste in luxuriis & in omni sordiditate vixit. Hic omnibus incommodus ab uxore sua Martia veneno interfectus strangulabatur.

Anno Dom. CCII, Zephyrinus papa à Petro XIV. ordinatus, sedit an. 8, mens. 7. Hic constituit, ut omnia vasa altaris essent vitrea.

Helius Pertinax imperator regnavit menses sex.

Julianus Salinus imperator regnavit menses septem. Isti duo nil dignum memoria egerunt, sed otiosi sunt ambo.

Severus septimus imperator regnavit annis 17. Iste Parthos & Arabes superavit. Iste etiam persequebatur Christianos. Sub isto papa Zephyrinus passus est. Perpetua & Felicitas bestiis deputantur Carthagini, & plures alii passi sunt.

Antonius Caracalla factus imperator regnavit annis 6. & occisus est.

Opilius imperator factus regnavit anno uno & occisus est.

Antonius Aurelius imperator factus, regnavit annis 4, & occisus est.

Anno Domini CCXXI, Calixtus XV. ordinatur. Hic constituit jejunia quatuor temporum, & constituit, ut nullus contrahat cum cognata ejus, quam carnaliter cognovit usque ad quartum gradum. Hic cimiterium primo instituit. Hic sedit annis 6, mensibus 2. Item constituit, ut nullus Simoniacus ordinetur Clericus, & quod nullus ordines emat vel vendat, & quod sit irregularis qui in his reus fuerit. Constituit etiam sententiam excommunicat, fieri in contumaces & rebelles. Iste Calixtus papa passus est sub Alexandro imp.

Anno Domini CCXXVI, Urbanus papa à Beato XVI. ordinatur. Sedit an. 4, mens. X. Hic multos convertit ad fidem, ac Tiburtium & Valerianum convertit. Hic constituit, ut omnia vasa altaris essent aurea, vel argentea, vel saltem stannea. Et constituit, ut nullus omnino vel emat vel vendat ecclesiam, vel præbendam, vel ecclesiastica sacramenta. Et constituit confirmationem fieri in fronte baptizatis ab Episcopo cum chrismate. Passus est sub Alexandro imperatore, & similiter Tiburtius, & Valerianus, & B. Cæcilia. Iste Alexander imperator regnavit an. 13. Hujus imperatoris matrem Origenes Christianam fecit. Hujus imperatoris tempore sanctus Narcissus Hierosolymitanus claruit, & beata Affra. Iste Alexander imperator transferri jussit beatissimi Thomæ corpus de India in Edissam civitatem. Iste Xerxes regem Persarum vicit, & plurimos Christianos occidit, & ipse Alexander in & Moguntia occisus est.

Anno Domini CCXXXI, Pontianus papa XVII. ordinatur. Sedit annis 9, mensibus 6. Passus est sub Julio Maximino & sub Alexandro, imperatoribus. Post istum Pontianum papam sedit Cyriacus papa anno uno: sed non est in catalogo Romanorum pontificum, quia recessit à sede, & passus est sub Julio & Maximiano imperatoribus.

Anno Domini CCXL, in Colonia cum XI. millibus virginibus à rege Hunorum Julio.

Anno Domini CCXLII, Antherus papa XVIII. ordinatur. Sedit an. 12, mense uno. Passus est sub Julio Maximiano. Hic constituit, ut Episcopi de sede ad sedem transferri possint, & constituit, ut gesta martyrum scriberentur. Constituit etiam sententiam excommunicationis fieri. Julius Maximinus imperium adeptus regnavit annis 3. Hic sextam persequutionem in Christianos movit. Iste Aquileja occisus est.

Anno Domini CCLIV, Fabianus papa XIX. ordinatur. Sedit annis 4, mensibus II. Passus est sub Decio. Super caput bujus Fabiani descendit columba de cælo, cunctis videntibus, & mox electus est ab omnibus in papam. Hic constituit, sacerdos si vellet, pro cuncta causa posset jurare. Constituit etiam, ut nullus emat vel vendat ecclesiam aut beneficia ecclesiastica vel sacramenta, & quod talis Simoniacus sit irregularis. Et constituit fieri sententiam excommunicationis. Tempore Fabiani papæ Gordianus imperator regnavit an. 6, & occisus est sub Fabiano papa.

Philippus imperator cum filio suo Philippo regnavit annis 7. Isti omnium imperatorum primi Christiani facti sunt. Tempore horum imperatorum, annus ab Urbe condita millesimus festivo celebratus est Romæ. Isti pariter imperatores occisi sunt, & fraudulenter à Decio qui invasit imperium.

Anno Domini CCLVIII, Cornelius Papa à Petro XX. ordinatur. Sedit anno uno. Passus est sub Decio. Hic rogatus à quadam matrona nomine Lueria levavit corpora Apostolorum Petri & Pauli de catatumbis: & cum dubitaretur, quæ ossa unius vel alterius essent, vox de cælo intonuit dicens, ossa majora Piscatoris, ossa minoræ Prædicatoris. Et diviserunt sic corpora Apostolorum, postquam jacuerunt CXI. annis sub terrâ scilicet ab ultimo anno Neronis usque ad primum Decii.

Anno Domini CCLXIX, Sixtus Papa XXI. ordinatus sedit mensibus 10. Passus est sub Decio, & beatus Hyppolitus, & sanctus Laurentius, & multi alii martyres. Hoc anno VII. Dormientes, persequutionem Decii fugientes, absconderunt se apud Ephesum in quadam spe-

lunca; & dormierunt per annos CXXII. videlicet usque ad tempora Theodosii imperatoris Christianissimi, & tunc eos suscitatos revelant. Ipso anno beatus Antonius Abbas claruit. Sextus Papa constituit in missa cantari; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Decius imperator regnavit annis 2., mensibus 6., & occisus est. Hic septimam persequutionem in Christianos movit, & multos sanctos interfecit.

Anno Domini CCLXX. Dionysius Papa XXII. ordinatur. Sedit an. 2. Passus est sub Junio Gallo imperatore. Hic presbyteris ecclesias distribuit & parochias divisit. Iste Junius Gallus imperator cum Volusiano filio suo imperatore regnavit ann. 2., & ambo occisi sunt.

Anno Domini CCLXXII. Lucius Papa XXIII. ordinatur. Sedit annis 3, mensibus 4. Passus est sub Valeriano & Gallieno imperatoribus. Hic constituit, ut tres presbyteri & tres diaconi semper sint cum episcopo. Et constituit fieri sententiam excommunicationis.

Anno Domini CCLXXV. Stephanus Papa XXIV. ordinatur. Sedit annis 8, mensibus 7. Passus est in principio Augusti sub Valeriano & Gallieno imperatoribus. Hic constituit in sacris vestibus sicut & Clemens celebrari, & quod vestes sacre ad quotidianum usum non habeantur. Constituit etiam, ut Papa præsente Senatu & populo & clero eligatur: & constituit, ut in episcopum non eligatur aliquis, nisi sit XXX. annorum.

Anno Domini CCLXXXIII. Sixtus Papa XXV. ordinatur. Sedit ann. 2, mensibus 11. Passus sub Valeriano & Gallieno. Hic constituit, ut missa celebraretur super altare versus Orientem.

Anno Domini CCLXXXIV. Dionysius papa XXVI. ordinatur. Sedit annis 5, mensibus 2. Hic etiam parochias divisit. Passus est sub Valeriano & Gallieno. Iste Valerius imperator, qui & Licinius vocabatur, cum filio suo Gallieno regnavit annis 15. Hic persequutionem octavam movit in Christianos. Isti prælatos sanctos & multos occiderunt. Cyprianus quoque Carthaginensis Episcopus doctor præcipuus sub istis imperatoribus passus est. Iste Valerianus Licini, imp. à Sapore rege Persarum captus, luminibus quoque privatus miserabili servitute consensit ibi in Persia. Nam quamdiu vivebat, regem Saporem equum ascensurum dorso attollebat. Iste Valerianus & filius suus Gallienus imperat. occisi sunt.

Claudius imperator anno Domini CCLXXXIV, imperium adeptus regnavit annos 15. Iste morbo interiit. Gothos jam tunc per 15. annos Illyriam & Macedoniam vastantes ingenti prælio vicit. Postea in bello Alemannorum XV. millia occidit. Quintilianus frater Claudii imperium adeptus regnavit dies 17, & occisus est.

Anno Domini CCLXXXVI. Aurelianus imperator factus regnavit ann. 5. Hic persequutionem IX. movit in Christianos. Terribile fulmen cum diris tonitrib. sub pedib. Aureliani imperatoris ruit, ostendensque facinoris tanti ultor Deus non patiens esset: quanquam intra 6. menses tres imperatores occisi sunt, Aurelianus, & Tacitus, & Florianus. Et iste imperator strenuissime Gothos vicit. Hic apud Romanos diadema capiti suo imposuit, & vestes auro gemmisque contextas in usu habuit: quod ante Romanis moribus incongruum fuit. Porcinæ quoque usum curia populo instituit, & ipse Aurelianus occisus est. Tacitus imperium adeptus regnavit anno 1. & occisus est. Florianus imperium adeptus regnavit mens. 2, & occisus est. Isti duo ultimi nil egent memoria dignum.

Anno Domini CCLXXXVIII. Eutychianus papa XXVIII. ordinatur. Sedit mens. 10. Passus est sub Probo imperatore. Hic constituit uvas & fabas & novas fruges benedici, sicut positum est in die sancti Sixti papæ.

Probus imperium adeptus est: regnavit an. 6, & occisus est. Iste Probus imp. vir strenuus & iustus multa gerens, Gallias à barbaris occupatas ingenti bellor. felicitate restituit.

Carus imperator filios suos Carinum & Numerianum Cæsares fecit: regnavit an. 2. Numerianus Cæsar factus sanctos Chrysanthum & Darium occidit, & ipse occisus est. Carinus imperator ictu fulminis interiit. Iste Carinus de Persis triumphavit.

Anno Domini CCLXXXVIII. Cajus papa XXIX. ordinatus, sedit annis 9, mensibus 4. Passus est sub Diocletiano. Hic constituit ordines clericorum, scilicet Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, Acoluthum, Diaconum, Presbyterum.

Anno Domini CCXC. Diocletianus imperium adeptus regnavit an. 20. Marcellinus papa à Petro XXX, sedit an. 9, mensibus 5. Passus est sub Diocletiano. Isto tempore Ecclesiastica historia ab Eusebio scripta fuit. Tunc tanta fuit persequutio Christianorum, ut infra unum mensem XVII. millia martyrio coronarentur, & ipse Marcellinus papa compulsus à Diocletiano thura obtulit idolis, de quo postea pœnituit coram CXL. Episcopis. Et tunc cessavit papatus an. 7, mensibus 5. Passus est sub Diocletiano. Hic constituit XXV. cardinales in urbe Roma propter baptismum & sepulturam. Hic etiam constituit, ut nullus clericus cuiuscunque ordinis ad iudicem secularem trahatur absque permisso sui Episcopi. Hic etiam constituit, ut pueri, cum venerint ad annos discretionis, id est ad XV. annum, si noluerint remanere in claustris, licet possint ire ad seculum & ad hæreditatem suam.

Anno Domini CCIX. Eusebius Papa XXXII. ordinatur. Sedit ann. 2. mens. 2. Passus est sub Diocletiano. Hic constituit, ut omnes Christiani festivitatem sanctæ crucis s. non. Maji, solenniter celebrarent. Quo passo, Melchisedes Papa XXXIII. ordinatur. Sedit an. 7. mens. 7. Passus est sub Diocletiano. Hic constituit Dominico non esse jejunandum. Hucusque omnes Papæ fuerunt martyres. Diocle. Imper. regnavit an. 20. Erat enim callidus, & sagax, & subtilis ingenii. Hic fecit Cæsarem Maximianum Herculium de Pannonia natum genere rusticano. Iste Maximianus imperator pater fuit Maxentii, sub quo Catharina passa est. Diocletianus Constantium filium Maximiani fratrem Maxentii Cæsarem fecit. Iste Constantius fuit pater Constantini Magni imperatoris. Diocletianus moriente Maximiano in Occidente persequutionem sævissimam exercuit in Christianos, decimam post Neronem, quæ omnibus persecutionibus fuit immanior & durior. Isti divinos libros exuri, ecclesias destitui, Christianos occidi jusserunt. Tunc plurimi martyres passi sunt, Mauricius, Simplicius & alii, sc. B. Agnes, Lucia & Sebastianus. Diocletianus imperator jussit adorari se ut Deum. Diocletianus & Maximianus imperatores uno die sunt depositi de regno & privati. Diocletianus morte pessima mortuus est. Maximianus in Maris stranguatus occisus est. Diocletianus imp. Narseum regem Persarum in thesauris & divitiis plurimum copiosum & vicit & occidit:

Constantius imperator in Occidente, vir summæ mansuetudinis, cum Licinio regnavit annis 2. Iste Constantius imperator ex Helena genuit Constantinum. Iste Licinius imp. sororem Constantini magni filiam Helenæ Treuerensis accepit in uxorem. Iste Licinius imperator putrefactus introitus nimio fœtore & vermibus consumptus est.

Anno Domini CCCXI. Constantinus filius Constantii ex Helena natus imp. creatus regnavit ann. 30. Maxentius imp. Maximiani Herculii filius in oriente regnavit uno, & submersus est.

Anno Domini CC CXIII. Sylvester papa XXXIV. ordinatur. Hic baptizavit Constantinum imperat. Sylvester papa sedit an. 23. mens. 10. Hic constituit consecrationes & dedicationes ecclesiarum & altarium, & quod ungatur calix cum chrismate: & ipse Kyrie eleeson, Christe eleef. Kyrie eleef. de Græcis sumpsit. Constituit etiam, ut in panno lineo mundo, s. corporali, sacrificium tantummodo celebretur, quia Joseph corpus Domini involuit sindone.

Anno Domini CCCXVIII. Nicena synodus & Nicenum concilium celebratur CCCI. & XVII. Episcoporum, sub Sylvestro papa, & sub Constantino impe. in quo Arrius condemnatur quid dicit, in Trinitate non unam esse substantiam, sed diversas, sive essentias. In eodem concilio symbolum, *Credo in unum* contra Arrium composuerunt. Hoc Nicenum capitulum composuit Gloria Patri & filio & Spiritui S. Sed Hieronymus adiecit, *sicut erat in principio, &c.* Hic Constantinus impe. Maxentio bellum intulit, quia sibi in Oriente imperium usurpavit. Cumque cum Maxentio congredi hæsitaret, & de cælo licet paganus auxilium quæreretur, vidit per sompnum ad Orientis partem in cælo signum crucis igneo fulgore rutilare, & angelos sibi astare dicentes, *Constantine in hoc signo vinces.* Fertur autem & ipse Jesus Christus sibi apparuisse, & signum crucis ei monstrasse, & simili modo ei dixisse, *Constantine in hoc vinces.* Tunc Constantinus crucem in vexillo posuit, & congressus vicit Maxentium: & Romæ in Tiberi ipse Maxentius submersus est. Post Sylvester papa baptizavit Constantinum, & Constantinus à lepra mundatus fuit in baptismo. Et regnavit an. 30. mens. 10. Hic liberaliter Ecclesiæ dedit privilegia multa, & S. Sylvestro papæ & successoribus ejus dedit regalia insignia, videlicet eqvum album & niveum, & indumenta coccinea, & plurima ornamenta. Frenum quoque aureum & pectorale aureum eqvi & diadema imperiale aureum, Romam, & civitates multas: & omnes redditus civitatum dedit sancto Sylvestro, ita ut semper utatur illis pontifex. Et fecit Constantinopolim civitatem quæ ante Bizantium vocabatur, & fecit pontem in Danubio, & leges plurimas statuit. Constantinus etiam imperator fecit in suo palatio basilicam in honorem Salvatoris nostri quæ dicitur *Sancta Sanctorum* vel *Constantiniana*, quam S. Sylvester dedicavit primo præ omnib. ecclesiis. Ibidem servatur cum magna reverentia caro præcisa de umbilico Domini & soleæ Domini, & portio vivificæ crucis ad modum humani cubiti longa, & velum de capite beatæ virginis Mariæ, & latus ejusdem Sanctæ Dei genitricis. & capita Apostolorum Petri & Pauli, & multa alia. Ibi non celebrat nisi papa. Constantinus quoque fecit basilicam S. Petri in Vaticano in platia Neroniano in templo Apollinis in monte aureo, quam fecit dominam & magistram omnium ecclesiarum, & exportavit de tellure fundamenti propriis humeris XII. cophinos in honore XII. Apostolorum. Posuit ibidem imperator corpus beati Petri in capsam ex ære & cupro spissam V. pedum: & posuit super corpus B. Petri Apostoli ciborium in quatuor columnis porphyreticis, & crucem de puro auro habentem C L. libras auri posuit super tumbam B. Petri: & posuit ipse Imperator circum tumbam B. Petri XII. columnas onychinas, quas fecit afferri de Græcia. Corpus etiam beatissimi Pauli Apostoli ipse Imperator Constantinus posuit in catatumbis in capsam ex ære & cupro similiter spissam ex omni parte, sicut capsam beati Petri. Capita tamen beatorum Petri & Pauli in Sancta Sanctorum sunt reposita ab ipso Imperatore. Idem Constantinus Augustus fecit Lateranensem ecclesiam beati Joannis Baptistæ. Posuit quoque ibi arcam testamenti quam Titus imperator asportaverat de Hierusalem quando destraxit eam. In arca ibidem sunt hæc, videlicet tabulæ testamenti,

menti, virga Aaron quæ fronderat, manna, pars de panibus Domini ordeaceis, tunica Domini inconsutilis, pars arundinis Domini, vestis S. Joannis Baptistæ, & multa alia. Super arcam illam intra altare summum posuit mensam, in qua Dominus Jesus cœnavit cum discipulis suis. Super hoc altare Lateranense nemo celebrat, nisi papa, vel cardinalis qui sit Episcopus. Fecitque imperator ibi super altare ciborium super quatuor columnas porphyreas. Posuit etiam ibi imperator quatuor columnas æreas, grandes, deauratas. Singulis annis in cœna Domini præfente summo pontifice arca præfata à sacerdotibus cardinalibus violatur, & remota mensa in ipso concavo arcæ à papa corpus Domini & oleum & chrisma consecratur: sed in Sabbato secundo iterum resecratur à papa ob reverentiam principis Apostolorum, qui super hoc altare ligneum dicitur celebrasse mysterium.

Anno Domini CCCXXV, sanctus Nicolaus Episcopus migravit ad Christum in Myrrhæ civitate, sub sancto Sylvestro papa.

Anno Domini CCCXXV, Marcus papa XXXV. ordinatur. Sedit an. II. mens. 8. Hic constituit, ut Ostiensis Episcopus papam consecrare debeat, & pallio utatur. Hoc & Sixtus papa constituit. Hic Marcus papa sedit tempore Constantini. Successor istius Julius papa etiam sub Constantino XXXVI. ordinatur. Sedit an. II. mens. 2. Hic constituit, conjugium à sacerdote benedici. Igitur Constantinus republica bene ordinata, & Dei ecclesia miro modo exaltata, cum magna religione obiit II. cal. Junii, & sepultus est in Constantinopoli in ecclesia Apostolorum. Iste Constantinus imp. fuit XLII. à Cæsare Augusto.

Anno Domini CCCXLI, Constantinus filius Constantini Magni imperium adeptus cum fratribus suis Constantino & Constante regnavit annis 23. Iste Constantinus & frater suus Constantinus pariter occisi sunt. Iste Constantinus fuit hæreticus.

Anno Domini CCCXLIV, Paulus primus eremita migravit ad Christum, anno vite suæ 113.

Anno Domini CCCLV. Liberius Papa XXXVII. ordinatur. Hic papa fuit hæreticus, qui sub Constantino imperatore propter fidem in exilium ductus est, cui in papatu successit Felix papa XXXVIII. Hic Felix papa capite truncatus est, cum evinceret, eundem Constantium imperatorem esse hæreticum Arrianum. Iste Felix papa sedit an. 1. mens. 3. Hujus bellum agitur 4. cal. Augusti. Quo decollato, Liberius exilii tædio victus hæresi Arrianæ subscripsit, & Romam quasi victor intravit. Iste Liberius papa sedit an. 6. mens. 2. Nec legitur conversus fuisse ad fidem & poenitentiam. Cui successit Leo papa hæreticus Arrianus, sed non est in catalogo Romanorum pontificum. Huic Leoni Papæ restitit Hilarius Pictaviensis Episcopus, vir eruditissimus & acutissimus in suo concilio. Illuc enim venit Hilarius non vocatus. Unde Leo papa indignatus plurimum iussit, ne Hilario locus daretur sedendi in concilio Arrianorum; sed ipse reledit in terra dicens, *Domini est terra, & planitudo ejus.* Et mox ibidem elevatus est colloculus jussu divino, in quo bellator Christi altius sedit omnibus. Unde Leo papa indignatus iterum dixit Hilario, *Ego ero tibi Leo, & ipse respondit, Sed non Leo de tribu Juda.* His & his similibus dictis Leo Papa necessitate compulsus juit ad Sebeßum; & ibidem statim animam exhalavit. Præsidio hujus Constantii imperatoris hæretici fulta impietas Arriana, exiliis, carceribus & variis afflictionum malis, primo Anastasium (a) Episcopum Alexandrinum, qui fugiens venit in Treverim, ubi ipse tunc composuit symbolum, scilicet. *Quicumque vult: & Eusebium Cæsariensem Episcopum: & multos alios persequuta est Christianos.* Hilarius Pictaviensis Episcopus tunc etiam cum aliis Episcopis in exilium missus est. Anno Domini beatus Antonius abbas migravit ad Christum anno ætatis suæ CV. Tunc temporis Ægyptus & Thebaida eremitis & presbyteris plena fuit.

Anno Domini CCCLXV, Julianus imperium adeptus regnavit an. 2. mens. 8. Hic à fide & ordine apostatavit, idololatra effectus. Sub hoc Juliano sanctus Martinus nondum baptizatus militavit apud civitatem Vangionum, id est Wormatiam. Hic, orante & jejunante S. Blasio Cæsariensi Episcopo, cum populo suo ad Persicum bellum pergens, destructionem civitatis comminatus, sed jussu sanctæ Dei genitricis Mariæ per Mercurium martyrem in eadem civitate Cæsariensi occisus est, qui Julianus apostata & idololatra dum moreretur manum suam proprio sanguine implevit, & in aerem sparsit dicens, *Vicisti Galilæe, vicisti.*

Anno Domini CCCLXVI, Jovinianus imperium adeptus regnavit mens. 8. Hic insignis corpore, latus ingenio, studiosus in literis, fortis in viribus. Qui cum violenter à militare, quippe cum ipse Christianos esset. Cumque omnium vox communiter clamavit, se quoque Christianos esse, suscepit imperium. Iste Jovinianus suffocatus est.

Anno Domini CCCLXVIII, Damasus papa à beato Petro XXXIX. ordinatur. Sedit an. 18. mens. 4. Hic fuit Hispanus. Hoc tempore Hieronymus presbyter claruit. Ipse Hieronymus *lectionarium & Evangeliarium*, sicut hodie habet ecclesia, collegit, sicut Damasus papa legi

(a) Leg. premit Anastasium.

legi censuit. Idem Hieronymus *nocturnale officium* vel reliquas *horas* sicut hodie canit ecclesia, composuit. Sed Damasus papa die ac nocte Psalmos eosdem in ecclesia cantari instituit. Damasus papa etiam *Gloria patri* cantari constituit, sicut Nicena synodus composuit. Hic Damasus papa basilicam in catatumbis, ubi corpora Sanctorum sepulta erant: quæ modo est ubi quiescit sanctus Sebastianus.

Tempore Damasi papæ, an. Domini CCCLXXVI, Valentinianus imperium adeptus regnavit annis II, & in apoplexia suffocatus est. Tunc temporis claruit beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, Severinus Colonienſis Episcopus, Augustinus Hipponensis Episcopus, Martinus Turonensis Episcopus.

Anno Domini CCCLXXXIV, Constantinopolitanum concilium Cl. Episcoporum congregatur adversus Macedonium, qui & ibi condemnatur, quia negat Spiritum sanctum esse Deum. In hoc concilio compositum est *Credo in unum*, sc. symbolum quod cantatur in Missa, & traditum est ecclesiæ: sicut Damasus papa hoc contra eundem Macedonium hæreticum. DXV. secunda synodus symbolum sc. *Credo in unum* appositio sc. *filio*, quod in Missa constituit cantari. Ille Valentinianus à Juliano apostata ob fidem Christi militia fuerat privatus, quia perlequebatur Christianos ipse Julianus. Valentinianus Imperator regnavit annis 4.

Gratianus imperator regnavit an. 8, & occisus est. Isti duo nihil memoriale habent.

Theodosius imperium adeptus regnavit an. 15, cum tamen ante cum Gratiano & Valentiniano regnasset an. 6. Hic Theodosius Christianissimus imperator convocavit concilium Constantino-
polim contra hæreticos, pro divino officio generaliter pro tota ecclesia ordinando. Hic Valentinianus imperator suspensus est, sed Theodosius Mediolani bene obiit. Hunc Theodosium imperatorem beatus Ambrosius Mediolano excommunicavit, quia multos in Thessalonica fecit occidi in furia & absque iudicio. Ad quam excommunicationem imperator patienter pœnituit cum lachrymis, & pro excommunicato se tenuit humiliter per menses 4. & amplius, quousque Ambrosius excommunicationis sententiam relaxavit: in iungens ipsi loco pœnitentiæ, ut nullum de cetero faceret occidi, nisi præhabita deliberatione per triginta dies ad minus, II. q. 3. cum apud Thessalonicam.

Anno Domini CCCLXXXVI, Siricius papa XL. ordinatur. Sedit an. 15. mensib. 11, & fuit tempore Theodosii imperatoris, & in castello Emmaus tempore Theodosii imperatoris natus est puer *perfectus inferius, sed ab umbilico & sursum diviſus*: ita ut haberentur duo capita & duo pectora, & omnes sensus quinque: alter edebat vel dormiebat, quandoque se percutiebant. Vixerunt autem 2. annis, & uno mortuo alter supervixit 4. diebus. Hic Siricius papa constituit, ut nullus presbyter agat solennem pœnitentiam. Beatus Hieronymus scripsit tunc librum illustrium virorum: & S. Augustinus baptizatus est à S. Ambrosio.

Anastasius papa XLI. ordinatur. Sedit an. 3. mens. 10. Hic constituit, ut quilibet clericus non fieret sacerdos, nisi de licentia sui Episcopi. S. Ambrosius hymnos composuit *seriales*. *Te Deum laudamus* composuit cum S. Augustino, & aliqua Gradualia, & *Alleluja*.

Anno Domini CCCCLII, Ambrosius plures composuit collectas.

Anno Domini CCCCV, Innocentius papa XLII. ordinatur. Sedit annis 15. mens. 2. Sub quo Roma capitur ab Alarico Rege Gothorum. Hujus Innocentii Papæ festum agitur V. Calend. Augusti. Hic constituit, ut quis carens aliquo membro clericus non fieret. Constituit etiam dicta *Pax Domini sit semper vobiscum*, & pacem dari constituit.

Sanctus Innocentius Papa commisit sanctæ Agnetis Ecclesiam gubernandam Leopardo presbytero, & ut factum, dedit ei annulum aureum, quem idem clericus senio fessus reddidit S. Agneti cum offertorio. Extendens autem digitum suscepit annulum, & eum adhuc tenet imago ejus. Tempore hujus Papæ B. Alexius Romæ migravit ad Christum: & B. Martinus Episcopus Turonensis migravit ad Christum, anno Domini CCC CXII, sed vitæ suæ anno LXXXI, & B. Ambrosius Episcopus Mediolanensis migravit ad Christum an. Domini CCC CXIII: & B. Joannes Chrysostomus migravit in exilium: & beata Paula mater Eustathiæ virginis migravit ad Christum in Bethleem: & sanctorum corpora Stephani, Nicodemi & Gamalielis & Abibon revelata sunt à Deo in Hierusalem Luciano sacerdoti. Tunc corpus S. Stephani sedi Apostolorum transmissum: quod dum per diversas ecclesias multis solennitatibus honorassent, intendebant eum ponere juxta S. Laurentium: cui Laurentius, videntibus qui aderant, cessit dans ei locum per medium tumbarum: sicque positus ibi quiescit. Hic papa Innocentius præsens ibi gratias egit Deo cum clero & populo.

Illo tempore Anastasii & Innocentii Papæ, Arcadius & Honorius Imperatores regnaverunt pariter an. 11. Isti fuerunt filii Theodosii Imperatoris. Hi devoti Christiani permanserunt. Post mortem hujus Arcadii relicta sua Eudoxia venit ex devotione Hierosolymam, & inde cum magno gaudio reportavit catenas, quibus Rex Herodes vinculaverat S. Petrum Apostolum. Tunc sanctus papa Innocentius cum ipsa Augusta, delens ritum festi Augusti Cæsaris in calendis Augusti, constituit festum celebrari ad Vincula S. Petri. Unde diabolus indignatus apparuit Judæis in specie Moyſis, dicens se debere ducere eos per medium sicci maris in terram

C c c

pro-

promissionis : & qui sequebantur eum in mari submersi sunt : & alii Judæi ad fidem conversi baptizati sunt in civitate quæ dicitur Epirum, & sic Diabolus decipiens deceptus est.

Anno Domini CCCCXX, Sosimus papa XLIII. ordinatus sedit annis 4, dies 11. Hic constituit cereum benedici in Sabbato sancto : & constituit, quod diaconus lævæ tegat, & quod omnes stare debeant quando legitur Evangelium, & cum reverentia audire : & constituit quod Deo in missa aliquid offerat Christianus. Anastasius papa prius constituerat, ut ad Evangelium nullus sedeat.

Anno Domini CCCCXXIV, Bonifacius papa XLV. ordinatur. Sedit annis 3. mensibus 8. Tunc beatus Hieronymus in Bethlehem migravit ad Christum, anno vitæ suæ XCIX. Sed Hieronymus Romæ ad S. Mariam majorem sepultus est ante fanum, in quo Dominus jacuit in præsepio, cum quo ipse illuc translatus est.

Anno Domini CCCCXXVI, Celestinus papa XLVI. ordinatus sedit annis 12. mensibus 7. Hic constituit Psalmum dici, *Judica me Deus, & discerne causam meam.* Et hoc Psalmo colligitur confessio generalis ante Missam secundum statutum hujus papæ, quando Missa celebratur in memoriam mortis Christi. *Petrus lacrymis penituit ante mortem Christi, Latro confessus fuit.* Et constituit Psalmos cantari ad introitum missæ. Honorius post mortem Arcadii Imperatoris regnavit annis 15. cum Theodosio filio fratris sui Arcadii. Tempore hujus Honorii imperatoris fuerunt Sosimus papa, Bonifacius papa, Celestinus papa successive.

Anno Domini CCCCXXVII, Theodosius junior tenuit imperium. Iste Theodosius imperator fuit sapiens multum, patientia & clementia universos præcellens : conditor etiam legum. Quem cum quidam familiarium interrogaret, cur omnibus parceret, & cur nullum se lædentium morti subjugaret : respondit imperator, utinam mihi esset possibile etiam mortuos suscitare & ad vitam revocare. Hujus imperatoris tempore Septem dormientes fuerunt suscitati. Sub isto Imperatore fuit S. Servatius Episcopus, & Attila Rex Hunorum vastavit imperium. Tunc coactus Theodosius imperator VI. millia librarum ei pro censu præbuit, & mille librarum tributum ei Attilæ promisit. Theodosius junior solus regnavit annis 26, sic ut infirma regnaverit annis 41. Valentinianum etiam consortem regni fecit. Sub isto sedit Sixtus papa, & Leo Papa.

Anno Domini CCCCXXXVII, Sixtus papa XLVII. ordinatur. Sedit annis 8, mense uno. Hic constituit, ut nullus clericus in parochia altius præsumeret adjudicare. Sixtus Papa fecit Basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ præsepe Domini. Dedit signum juvenis ubi Basilica fundaretur. Nonas Augusti hoc festum celebratur juvenis usque adhuc Romæ solenniter. Hoc anno Augustinus migravit ad Christum, pontificatus sui ann. XL. ætatis sue anno 76. Hic primo lectionem in mensa & ordinem regularium instituit, & sepultus est Ticiini quæ est Papia civitatis Italiæ. Sub isto Theodosio & Sixto papa celebratur generale concilium Ephesinum, in quo Nestorius hæreticus condemnatur cum suis fautoribus Pelagianis. Nestorius hæreticus dicit beatam virginem Mariam non Dei, sed hominis tantum fuisse matrem. Et dicit idem Nestorius, duas fuisse personas in Christo. Pelagiani hæretici liberam arbitrium divino anteponunt, dicentes sufficere voluntatem ad implenda divina officia.

Anno Domini CCCCLVIII, Mattianus imperator regnavit annis 7. Hic religiosus fuit, fuit & gentibus multa beneficia præstans. Hujus tempore Wandali Romam ceperunt, & bonis eam omnibus spoliaverunt. Temporibus hujus Imperatoris sub Leone papa celebratur generale concilium Chalcedonense DC. & XXX. patrum, in quo damnatur error Eutychianus. Eutychianidicti sunt, qui in Christo negant esse duas naturas, sed solam in Christo divinam naturam esse dicunt.

De XXV. hæresibus reprobatis.

Igitur de IV. conciliis generalibus, videlicet Niceno contra Arium, Constantinopolitano contra Macedonium, Ephesino contra Nestorium, Chalcedonensi contra Eutychem habetur. Igitur diversæ hæreses diversis temporibus ortæ sunt. Nam sub Antonino Pio Montanus Cataphrygarum auctor oritur. I. Hi adventum sancti Spiritus non in Apostolos sed in se traditum asserunt, & dicunt, quod Spiritus S. per Prophetas loquutus est, eisdem prophetis nescientibus, tanquam si per fistulam loqueretur. II. Similiter sub tempore Antonini Aurelii Sabellius in felix oritur. Hi Sabelliani unam personam patris & filii & Spiritus S. asserunt. III. Et sub Galieno & Joviniano imperatoribus Novatiana hæresis oritur. Hi nolunt apostatas ad veniam recipere, rebaptizant baptizatos. IV. Item sub tempore Probi Manichæorum hæresis oritur, qui vocantur à quodam nomine Manes. Hic duas naturas & substantias in Deo introduxit. I. bonam & malam, & animas ex Deo quasi ex quodam fonte manare asserunt, & dicunt omnes spiritus & animas à Deo factas, & corpora ab angelis. Testamentum vetus respuunt, novum ex parte recipiunt. V. Tempore Apostolorum Nicolaitæ à Nicolao diacono, qui cum Scephanus & cæteris constitutus est à Petro. Hic propter pulchritudinem relinquens uxorem dixit, ut qui vel

qui vellet ea uteretur, & versa est in stuprum talis consuetudo, ut invicem conjugia mutarentur. De istis in Apocalypsi, *Quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. VI. Tempore Salvatoris Sadducæi orti, qui hæretici negant resurrectionem. Hi inter cætera circumcissionem observant: mille annos post resurrectionem in voluptate carnis prædicant esse futuros. VII. Gnostici hæretici animam naturam Dei esse dicunt, bonum & malum Deum dicunt, VIII. Valentini hæretici à quodam sectatore Platonis dicti, Christum nihil corporis assumisse dicunt de Virgine, sed per eam tanquam per fistulam transisse asserunt. IX. Apeelles hæreticus dixit, angelum gloriosum creatorem fuisse, & Christum non Deum in veritate fuisse, sed hominem in phantasia apparuisse dicit. X. Marcionistæ hæretici à Marcione philosopho dicti duo principia asserunt. XI. Castorei propter mundiciam sic dicti hæretici, de suis meritis gloriantes, negant poenitentibus veniam peccatorum: viduas si nupserint tanquam adulteras damnant. XII. Ebionitæ hæretici & Fortuniani hæretici dicunt Christum à Maria per Joseph nuptiali ortu fuisse conceptum. XIII. Helvidiani hæretici ab Helvidio dicti asserunt post Christum natum Mariam alios filios per Joseph peperisse. XIV. Donatistæ hæretici à quodam Donato nuncupati asserunt, minorem patre filium, & minorem filio Spiritum Sanctum, & rebaptizant catholicos, XV. Præterea sub imperatore Zenone hæresis Acephalorum oritur. Acephali, id est sine capite, quia eorum author ignoratur. Hi substantiarum duarum proprietatem in Christo negant, & unam naturam in ejus persona prædicant. XVII. Heraclitæ ab Heraclio nuncupati hæretici monachos non recipiunt, conjugia respuunt, parvulos habere regnum cælorum non credunt. XVIII. Similis sub filio Heraclii Constantio oritur hæresis Pyrrhi & Pauli. Hi Pauliani dicunt, non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium. XIX. Aeriani à quodam Aerio sic dicti. Hi offerre sacrificium spernunt. XX. Origeniani à quodam Origene dicti. Hi hæretici dicunt, quod non possit filius videre patrem, nec Spiritus Sanctus filium, animasque dicunt in principio mundi peccasse, & pro diversitate peccatorum ex cælis usque ad terram diversa corpora quasi vincula meruisse, eaque causa mundum factum esse. XXI. Apollinaristæ hæretici dicunt, (Verbum) corpus non animam assumpsisse. XXII. Circumcelliones dicti, eo quod aggressi sunt. Hi hæretici amori martyrii semet ipsos perimunt, ut martyres nominentur. XXIII. Arabici hæretici qui in Arabia orti sunt, dicunt animam cum corpore mori. XXIV. Tertullianistæ hæretici à Tertullio presbytero dicti. Hi prædicant, animas peccatorum hominum in demones vel in alia quæque converti post mortem. XXV. Patriciani à quodam Patriciano dicti. Hi hæretici dicunt substantiam humanæ carnis à Diabolo conditam. XXVI. Priscianistæ hæretici factum & constellationes attendunt. Hi Gnosticorum & Manichæorum perversa dogmata sequuntur. Porro de sectis hæreticorum, & eorum erroribus satis habet. 24. q. 4. Alios similiter hæreticos, sci. Catharos, & Patherinos, Pauperes de Lugduno, vel quocunque nomine censeantur, excommunicatos sciamus ipso jure majore excommunicatione, & similiter illos qui sacrosanctis Sacramentis altaris, & aliquibus aliis ecclesiasticis Sacramentis contradicunt. Et omnis hæreticus, sive clericus sit sive laicus, vel Papa aut Imperator, vel quilibet inferior, depomni debet ab omni dignitate, & si clerici hæretici sunt, prius ab ordinibus degradati ab Episcopis, tradantur seculari curiæ puniendi.

Leo Papa XLVII. ordinatur. Sedit annis 11, mense 1. Hic constituit & decretum dedit, ut beata virgo Maria non solum *Χειροτόκος* sed etiam *Θεοτόκος* credatur & appelletur. Hic etiam constituit, ut etiam picturis habeantur imagines Sanctorum, & quicunque ipsas imagines inhoneste tractaverint, à communione separentur. Sub isto Leone Papa, ut prædixi, est celebratum concilium Chalcedonense contra Eutychetem. Leo papa constituit dici in Missa *Orate pro me peccatore*, & in fine Missæ dici constituit *Deo gratias*. Hic Leo constituit, ut presbyter post Missam populum benedicat: & constituit jejunia quatuor temporum. Hic etiam quasdam preces composuit, & in canone apposuit. *Sanctum Sacrificium & immaculatam hostiam*.

Anno Domini CCCCLX, Leo imperium adeptus cum filio suo Leone regnavit annis 16, Hic Leo pellita appellabatur. Tempore hujus Imperatoris, Hilarius Papa XLVIII. ordinatur. Sedit annis 8, mensibus 3. Hic constituit, ut nullus clericus investituræ à Laico recipiat. Sub hoc Papa Hilario cyclus 532. annorum à Dionysio monacho scriptus fuit.

Anno Domini CCCCLXV, tempore præfati Leonis Pellitæ, Simplicius papa XLIX. ordinatur. Sedit annis 15, mense 1. Hic constituit, ut nullus pontifex sibi successorem constituat, sicut & Clemens Papa I. Usque ad hunc Simplicium papam omnes Papæ & beato Petro ordines celebrasse leguntur in Sabbato quatuor temporum Decembri. Sub hoc Papa fuit Sanctus Mamertus Viennensis archiepiscopus, qui propter cladem magnam & mortis bestiarum, sc. urforum & luporum rogationes & litanias instituit, quas ecclesia Romana tunc approbavit, & fieri constituit.

Anno Domini CCCC LXXVI, Zeno Imperator regnavit ann. 15. in Oriente. Sub isto Imperatore arripuit Odoacer Occidentale imperium, hujus imperii anno 2. Felix Papa à beato Petro L. ordinatur, Sedit annis 8. mens. 6. Hic constituit, ab Episcopis ecclesias dedicari & consecra-

consecrari. Tempore hujus papæ an. Domini CCCC LXXXIV, S. Remigius Episcopus Clodoveum regem Franciæ filium Hilderici regis, misso sibi oleo de cælo in ampulla, baptizavit & unxit in Regem. Usque adhuc reges Franciæ in Remis de ipso oleo inunguntur.

Anno Domini CCCC LXXXV, Gelasius papa LI. ordinatur: sedit an. 4, mensibus 8. Hic (ut dicitur) fecit novem præfationes in missa secundum festa, & collectas plures, & hymnos quosdam & tractatus. Hic etiam constituit, ut in 4. temporibus & in Sabbato sancto ordines celebrentur, & quod servi presbyteri non ordinentur. Et constituit, ut clerici ordinandi de vita, & ætate, & de progenie, & scientia jussu Episcopi examinentur, & intulerentur digni. Hujus papæ Gelasii tempore, inventa est ecclesia B. Michaelis archangeli in monte Gargano, iste papa fuit tempore Zenonis imperatoris. Hic etiam constituit, ut diaconus debeat dare corpus Domini infirmis in absentia Episcopi, & presbyteri, & non alio tempore Gelasius papa Canonem missæ composuit. Sed beatus Gregorius papa dicit in registro, quod canonem quidam scholasticus composuit: quem canonem dici in missa forsitan iste papa Gelasius constituit: vel fortasse iste scholasticus qui canonem composuit, factus est papa, & appellatus est Gelasius papa. Collectas quas beatus Ambrosius composuit, iste Gelasius papa auxit, & in missa dici constituit. Idem etiam papa constituit ut sumpto corpore Domini, de calice & sanguine Domini etiam sumere debeant qui communicant. Hoc quidam observant. Constituit etiam Gelasius papa, ut presbyter post missam populum benedicat. Et S. Hieronymus hoc scribens ait: Si presbyter Christum consecrat in altari, cum in altari Dei Sacramenta benedicat, benedicere & populum debet qui corpus Christi meruit consecrare. Sed Damasus papa prohibet presbyteris dare benedictionem post missam, præsentem Episcopo. Tempore Zosimi papæ & Theodosii imperatoris Toletanum concilium & beatus Augustinus statuerunt, quod solis Episcopis in missa ante communionem liceat populum benedicere: & præfatum concilium statuit, ut nullus presbyter negligat dicere post missam hymnum trium puerorum. Igitur beatus Martialis Episcopus, apostolorum discipulus, ex magisterio apostolorum tradidit benedictionem Episcopalem. Hanc S. Ambrosius Mediolanensis episcopus cum orationibus appositis dicere usquequaque maluit. Apostolicus autem tantum hanc benedictionem dicit, quæ finita missa dicitur. Et papa post missam horas dat frequenter hanc: *Benedicat & custodiat nos omnipotens Deus pater, & filius, & Spiritus Sanctus, Amen*: Quia Gelasius papa canonem dici instituit, & (ut fertur) composuit. Sciendum est, quod canon interpretatur regula, nam per eam regulariter Sacramentorum fit consecratio. Hic & actio dicitur, quia causa populi cum Deo in ea agitur. Hic canon ob tres causas sub silentio dicitur: prima, quia cum Deo loquimur, ad quem ex corde clamamus imo, & verba dicimus, ut sciamus quem intendere debeamus: secunda, ne populus tam proluxa declamatione attædiatus abscedat, vel sacerdos tam longo clamore deficiat voce: tertia est, ne tam sancta verba tanti mysterii vilescant, dum ea vulgus per quotidianum sciens in locis inconvenientibus dicat. Unde fertur, dum ipse canon primitus publice recitaretur, ab omnibus per usum sciretur: & cum eum pastores super panem & vinum dicerent, quod repente ante se carnem & sanguinem invenirent, atque inde divinitus percussus interirent. Unde sub Vigilio papa (ut videtur) & Justiniano imperatore Constantinopolitanum quintum Concilium sub anathemate præcipiendo statuit, ut nullus dicat canonem nisi in libro, & vestibus sacris, & super sacrificia. Sciendum etiam est, quod in hoc canone missæ nulli aliquid dicere licebit vel addere, nisi quod ab apostolis compositum fuit: sed ante & post, ut dicit sanctus Gregorius in registro, canonem ad devotionem ad ea nomina quæ ibi posita sunt, possent apponere. Hujus Gelasii tempore, anno Domini CCCCLXXXVII, Hunnericus Rex Wandalorum CCCXXXIV. Episcopos catholicos & eo amplius exiliavit, & quibusdam linguas amputavit, qui tamen postea bene prædicabant verbum Dei, ut dicit Gregorius in dialogo, quorum unus propter fornicationem dono illo privatus est.

Anno Domini CCCCXC, Anastasius papa LII. ordinatus sedit anno uno, mensibus 10. Hic constituit, ut nullus clericus prætermittat divinum officium, sola missa excepta. Post hunc Symmachus papa LIII. ordinatur. Sedit annis 9. Hic constituit, ut omni die dominico, & in natalitiis martyrum hymnis *Gloria in excelsis* cantetur, etiam in aliis festis. Hic etiam constituit, ut nullus in uxorem quam levavit de sacro fronte accipiat, si fecerit, matrimonium dirimatur: & constituit, ut papa à duobus paribus Cardinalium eligatur, & sit ipso facto excommunicatus qui aliter, id est, à minori numero electus gerit se pro papa: & constituit, ut in Episcopum non eligatur, nisi qui sit XXX. annorum: & constituit, quod appellationi religiosorum non sit deferendum: & constituit, quod nullus per violentiam ad episcopalem honorem adscendat.

Anno Domini D, Anastasius imperium adeptus est. Regnavit annis XXVI. His temporibus magna discordia Romæ facta est in electione papæ, quibusdam eligentibus Symmachum, quibusdam Laurentium: de quo etiam Gregorius in dialogo scribit. Nam Paschasius diaconus cardinalis qui consensit Laurentio, purgatorii locum habuit post mortem in caloribus lavacris. Igitur in illa discordia multa homicidia tam Romanorum civium quam clericorum sacerdotum facta sunt.

ta sunt. Sed Symmachus prevaluit. His dum Arrianus hereticus quidam Olympus nomine in balneo lavaretur, & de fide sanctæ Trinitatis blasphema verba loqueretur, subito igneus gladius de cælo veniens percussit ipsum & interfecit. Post Symmachum Hormisdas papa LIV. ordinatus, sedit annis 9. Hic constituit, ut si quis celebraverit missam, nisi fuerit presbyter rite prius ordinatus, quod sit perpetuo à sacris ordinibus depositus ipso facto.

Joannes papa LV. ordinatur. Sedit annis 2, mensibus 9.

Felix papa LVI. ordinatur. Sedit annis 4, mensibus 9. Hic Felix papa constituit, ut anniversarius ecclesiarum & Episcoporum solemniter celebretur singulis annis. Hi sub Anastasio imperatore sederunt.

Anno Domini DXIX, Justinus imperium adeptus, scilicet Justinus major, & regnavit annis 7. Hic fuit vir catholicus, multumque peritus. Hujus tempore Bonifacius papa LVII. ordinatur. Sedit annis 2. Post hunc Joannes papa LVIII. ordinatur. Sedit annis 2, mensibus 4. Ab isto papa Justinus major & in imperatorem inunctus & consecratus fuit. Hunc sanctum Joannem papam, & Boetium senatorem fame in carcere interfecit Rex Theodericus Veronensis. Iste Rex Italiae, Theodericus hereticus post mortem Joannis papæ subito interiit, & turpiter mortuus est. Similiter sub hoc Justino imperatore Agapetus papa LIX. ordinatus, sedit annis 9, mensibus 10. Hic papa appellatur vas catholicum, Evangelii tuba, præco justitiæ. Hic constituit, ut nullus presbyter altare erectum sanctificet nisi Episcopus; & constituit quod nullus presbyter dedicationem ecclesiæ fingat: quod si quis fecerit degradetur; & constituit, quod nulla ecclesia dedicaretur, in qua paganus esset sepultus, & quod ibi Missa non celebretur.

Anno Domini DXXVII, Justinianus imperium adeptus regnavit annis 38. Hic ad regendum & reparandum reipublicæ statum animum intendit, & de adversariis imperii, & de Persis, & de Gothis viriliter triumphavit. Iste Justinianus imperator renovavit leges faciens codicem. Iste promulgavit sententiam, ne pagani vel heretici militarent, dans illis 3. menses ad inducias conversionis ad fidem & ad baptismum.

Hujus tempore sub Agapeto papa, anno Domini DXXVII, cum primum tenderet de loco, ubi eremiticam vitam duxerat, qui sublatus (a) vocatur, beatus Benedictus ex divina jussione in montem Cassinum: tres corvi quos ipse nutrebat, prope ipsum semper volando secuti sunt eum. Cumque veniret beatissimus pater Benedictus ad quoddam bivium, duo angeli apparuerunt ei, ostendentes per quam viam ire deberet. In loco autem ipso Cassini quidam Dei servus habitabat, cui vox de cælo dixit: His tu parce locis, alter amicus adest. Et facto monasterio ibi mansit sanctissimus abbas Benedictus, & in eodem loco doctrina & miraculis clauit.

Hic Justinianus imperator fuit à Cæsare Augusto LVI.

Silverius papa LX. ordinatur. Sedit anno uno, mensibus 10. Hic quia patriarcham Constantinopolitanum Anthemium hereticum excommunicavit & dignitate privavit, in exilium portatus est, ibi confessor Domini in pace & sanctitate vitam finivit.

Vigilius papa LXI. ordinatus, sedit annis 16, mensibus 6. Sub hoc papa (ut supra dictum est) canon missæ, ut sub silentio, & super altare, & super sacrificium, & in præparamentis dicatur, in concilio Constantinopolitano institutum esse videtur.

Fabianus papa LXII. ordinatur. Sedit anno uno, mensibus 5. Fabianus papa constituit, ut qui emit vel vendit ecclesiam, vel præbendam, vel ecclesiastica Sacramenta, Simoniacus sit & irregularis.

Pelagius papa LXIII. ordinatur. Sedit annis 11, mensibus 10. Hic constituit in Missa dici novem præfationes: 1. de Nativitate, 2. de Epiphania, 3. de Quadragesima, 4. de sancta cruce, 5. de Pascha, 6. de Ascensione, 7. de sancto Spiritu, 8. de sancta Trinitate, 9. de Apostolis, *Te Domine suppliciter exorare*. Nam valde multæ erant præfationes, sicut apparet in antiquis libris. Hic etiam constituit, ut heretici & schismatici per seculares potestates comprimantur.

Anno Domini DXLI, sub Pelagio papa & Justiniano imperatore primo sumpsit initium *Tempus* Domini, id est festum Purificationis: hoc & *festum luminum* dico. Lumina namque benedicta in processione portantur, quia Christum verum lumen nostrum tunc ascendentes in templum portabant, & quia pagani in principio Februarii mensis, Augustini annuatim solemniter celebrant triumphos, & gloriam Octaviani: ita in eodem die constituit ecclesia, ut à Christiano populo festum beati Petri Principis apostolorum celebraretur, scilicet ad Vincula, qui tamen in diebus azymorum ab Herode rege legitur incarceratus fuisse.

Eodem abbas Benedictus tam nomine quam gratiarum munere correptus febribus sexto die ante obitum suum aperiri sibi sepulturam in oratorio jubet, & inter manus orantium & psallentium discipulorum accepta communione sacra stans in monte Cassino ante altare migravit.

Joannes Papa LXIV. ordinatur. Sedit annis 12, mensibus 10. Et tempore Justiniani fuit. Quidam venit de regione Italarum anno Domini DXLIII, habens canem rufum sed cæcum: hic

Ccc c 3

canis

(a) Sublacus.

canis in foro multorum divitum annulis aureis, argenteis, & ferreis in unum cumulum compositis, retulit unicuique annulum suum; & composita numismata diversa similiter reddidit unicuique. Hic canis spiritum pythonicum habuit.

Anno Domini DLXVI. Justinus junior imperium adeptus, regnavit annis 11. Sub hoc Longobardi intrant Italiam. Iste Justinus comitem quendam Tiberium nomine Cæsarem fecit. Benedictus Papa LXV. ordinatus, sedit annis 4, mensibus 2.

Anno Domini DLXXVI. Tiberius Constantinus electus suscepit imperium. Hic misericors & largissimus in eleemosinis & devotus fuit. Hujus imperatoris tempore Benedictus Papa misit Gregorium diaconum ad prædicandum Anglicis. Sed cum voluntate Dei & Romanorum Gregorius arrepto itinere apud Tiberim fluvium in meridie pausaret, & ante se librum apertum haberet, venit locusta saliens, sedit super librum in sinu ejus, & Gregorius advertens dixit: *Locusta vocaris: hoc in loco sto*, id est, in Angliam non proficiscar. Et statim nuntii Papæ Benedicti insequentes Romam reduxerunt.

Anno Domini DLXXXI. Pelagius Papa LXVI. ordinatur. Sedit annum, menses 2. Sub hoc papa fuit Romæ pestis inguinaria, in qua peste & ipse Pelagius papa mortuus fuit. Pelagius papa constituit, ut in omni missa defunctorum memoria agatur, ibi scilicet, *Memento etiam Domine*. Tiberius imperator infirmatus, cum mortem sibi propinquam sentiret; Mauricium generum suum cum consilio ad imperium elegit, ei que principatum dedit dicens, *In mente habe, ut rectitudinem & justitiam semper ames*, & cum hoc dixisset, de hac luce migravit: quem omnis populus multum planxit pro bonitate sua. Fuit enim summæ bonitatis, ad eleemosynas promptus, in judiciis justus, in discretionem cautissimus: nullum despiciebat, sed omnes suscipiebat, & quia dilexit omnes, omnibus dilectus fuit. Et iste Tiberius imperator regnavit annis 7. Hinc in eleemosynis largissimo Deus manifestavit thesaurum copiosum in cruce signato sub pavimento. Non debet, inquit imperator, crux esse sub pedibus servorum, sed in frontibus imperatorum, iussitque levare de pavimento lapides tres cruce signatos, sub quibus thesaurus absconditus apparuit, quo dato pauperibus, etiam in ipsas pias causas, copiosus thesaurus Narlii eidem imperatori apparuit, per quendam senem virum domino disponente manifestatus est.

Anno Domini DLXXXIII. Mauricius imperium suscepit, & regnavit annis 21. Iste compulit Gregorium electum in papam suscipere præsulatum. Iste Mauricius decollatus est à Phoca successore suo.

Anno Domini DLXXXVII. Gregorius papa LXVII. ordinatur. Sedit ann. 13, mens. 6. Iste Gregorius exposuit Job & Ezechielem, & fecit carmen pastorale, & dialogum, & homilias 40. Hic constituit appellationis remedium, & constituit, ut marito excommunicato uxor, & filii, servi, & ancillæ, & alii pro utilitate sive pro adventicia necessitate licite communicare possint. Hic adornavit divinum officium, & cum ordinavit officia, officiis ordinavit & facta: videlicet in purificatione processionem cum candelis; in capite Jejunii aspersionem cinerum; in Palmis processionem cum palmis; in cœna Domini lotionem pedum & consecrationem Sacramentorum in pasceve de morte Domini cum nuditate pedum & crucis adoratione; in Pascha cum officio de vero agno esum veri agni. Constituit etiam, ut mulier post partum quando voluerit, reconcilietur ecclesiæ. Hic Gregorius Augustino Anglorum Episcopo scribit: *Quæ pias, quæ religiose, quæ recta sunt, elige*, & hoc quasi fasciculum collectam Anglorum consuetudinem depone. Hic convertit Anglorum gentem ad fidem Christi. Hic Gregorius papa hunc prædicatorem primo in Angliam misit. Hic constituit litaniam majorem in die sancti Martini propter pestem inguinariam. Hic ex prætore monachus floruit, & inde electus est in papam. Hujus Gregorii tempore tunica Domini in consutis apud Hierusalem reperitur, sed Romæ servatur. Sciendum itaque, quod olim divinum officium agebatur, prout cuique bonum videbatur. Unde bonæ memoriæ Theodosius imperator concilium apud Constantinopolim congregavit, omnes hæreses condemnavit, & divinum officium postulavit à concilio ordinari: quod negotium tunc Damasus papa Hieronymo in scripturis eruditissimo iungere iudicavit. Hieronymus itaque in Bethlehem, ubi Dominus nasci voluit, psalmos ad nocturnas & ad reliquas horas distribuit. Ad missæ vero officium lectiones & Evangelia de veteri & novo testamento collegit, prout tempori & stationi congruere vidit. Hoc officium concilium collegit, & cum papa, orationes & cantus in Epistolis & Evangeliiis addiderunt congruentes, sicut hodie tenet ecclesia divinum officium. Gregorius iste à diversis conciliis & Apostolicis collegit, & sic celebrari instituit, & cantari. Hic Gregorius papa introitum missarum composuit & collectas plures, & dici instituit. Ambrosius Mediolanensis Graduale & Alleluja composuit. Sed hic Gregorius dici in missa instituit Offertorium. Hoc Gregorius composuit, & in missa dici instituit. Hic etiam de martyribus & confessoribus officia instituit. Et de defunctis & de Dei genitrice quis dubitat? Sed *cursum*, id est horas beatæ virginis Mariæ, religiosorum devotio collegit, & ob venerationem ejus dicere consuevit. Hic Gregorius ecclesiastica ordinavit officia, ut in missa oratio lectioni & Evangelio concordet. Hic Gregorius signa crucis videlicet unam vel tres, vel quinque, super oblationem fieri in canone, & quod calix in dextera ponatur, & quod incessum præcedat Evangelium, & ut sacrificium incensetur, & quod lumen ar-

deat in missa. Hic addidit in canone, *Diesque nostros in terra usque ad per Christum Dominum nostrum*, sicut dicit Gregorius in Registro suo. Apostoli Dominicam orationem ad consecrationem corporis Domini direxerunt. Ita ipse Gregorius *Pater noster* dici in missa constituit, & capitulum quod præcedit, scilicet *Oremus preceptis salutaribus*, & orationem quæ sequitur *Libera nos*. Ita dicit Gregorius in Registro: *Inconveniens est, ut oratio quam scholasticus composuit super oblationem dicatur, & illa præmittatur, quam Apostoli ex institutione divina eorundem sacramentorum usitasse creduntur*. Ille Gregorius etiam ordinare curavit, ut tot officia habeamus, quot Dominicae possunt evenire. Et constituit, post festum Petri, festum Pauli celebrari, quamvis uno die passi sint. Hic Gregorius tale constitutum promulgavit, dicens: *In die Resurrectionis Domini usque in Sabbatum in albis, & in die Pentecostes usque in sabbatum ejusdem hebdomada tres psalmos ad nocturnum cantum cantamus, & tres lectiones legimus omnibus aliis diebus per totum annum: si festivitas est, 9. lectiones & 9. Psalmos cantamus: aliis autem diebus psalmos & tres lectiones recitamus: in dominicis diebus 18. psalmos & 9. lectiones dicimus*. Hic etiam Gregorius Quadragesimæ officium à capite jejunii incepit. Sic iste Gregorius papa pene omnia ecclesiastica ordinavit: sed officium & historiam de sancta Trinitate *Stephanus Leodicensis composuit*. Magister quoque Caroli *Albinus* nomine ex rogatu sancti Bonifacii archiepiscopi missam de Sancta Trinitate composuit. Hoc officium tamen usque adhuc curia non recepit. Hic Gregorius constituit, ut summus pontifex pro rubeis inferioribus indumentis alba ampla cingulo præcincta concinne utatur. Sed postea Celestinus papa propter illam albam amplam & longam mutavit in albam strictam non cinctam, quo modo utitur papa. Constituit etiam ut ordo Subdiaconatus sit sacer, & ut sint casti. Hic Gregorius etiam communionem * & dicit instituit. Sciscitante solitario quodam à Domino, cui similis fieret in præmio, respondit dicens, *Servo meo Gregorio*. Qui valde indignatus dixit Domino: *Cum Gregorius papa in gloria & divitiis huius mundi abundet, ego in afflictionibus positus, fame & siti, frigore & nuditate & solitudine cruciatus non habeo majus præmium, quam papa Gregorius in deliciis?* Cui Dominus ait: *Tu cum cæto uno majorum laetitiam habes, quam servus meus Gregorius papa omni gloria & divitiis*.

Anno Domini DCIV. Phocas imperium adeptus, regnavit an. 8. Hic Romanam ecclesiam præposuit Constantinopoli. Hic Pantheon dedit ecclesiæ. Tempore hujus imperatoris Angeli fidem acceperunt ab Augustino archiepiscopo & monachis, quos illum miserat Gregorius. Ille Phocas imperator prædecessorem suum Mauricium occidit. Ille Mauricius imperator Christianus commendavit mortem suam Deo, dicens: *Ego libentius punior in presenti seculo quam futuro*. Et Deo permittente decollatus est à Phoca successore suo.

Anno Domini DCVI. Fabianus papa LXX. ordinatur. Sedit anno uno, mensibus 5. Post hunc Bonifacius papa LXX. ordinatur. Sedit annis 9. Hic constituit, fures ecclesiarum anathematizandos esse. Et constituit, ut nullus violenter trahatur de ecclesia. Post hunc Bonifacium papam, anno Domini DCXVIII. alius Bonifacius papa ordinatur LXXI. Sedit annis 6, mensibus 10. Hujus rogatu Phocas imperator dedit Pantheon, id est templum omnium idolorum, ecclesiæ. Hoc templum papa quartus à beato Gregorio papa, eliminata omni spurcitia idolorum, solemniter in capite calendarum Novembrium dedicavit in honore beatæ Virginis Mariæ, & omnium martyrum. Romæ DC. Judæi conversi ad fidem Christi baptizati sunt. Obligaverunt enim se sub obrentu omnium rerum suarum ad hoc ita duntaxat, si Christus illuminaret cæcum quendam literaliter frequentius disputantem cum ipsis Judæis de Christo: cui Christus gloriose lumen oculorum præsentem hoc Bonifacio papa dedit, facto Luminum ad sanctam Mariam rotundam, id est Pantheon. Qui cæcus, ut visum recepit, mox illi DC. Judæi & amplius baptizati sunt, & ipse illuminatus publice coram omnibus statim cantavit hoc responsum, ante nunquam auditum: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti*. Et tunc idem papa hoc ipsum in ecclesia cantari instituit, *Super omnia sit Deo laus, Amen*.

Anno Domini DCXXII. Heraclius regnare coepit, & regnavit annis 27. à Cæsare Augusto LXI. Ille Heraclius imperator XII. imperii sui anno, cum multa militia per sex annos regnum Persarum vastavit, occiso rege Cosdroe Persidis, & occiso filio ejus singulari certamine in lapide ponte Danubii, vivificæ crucis lignum in Hierusalem reduxit, quod Cosdroes spoliato templo cum multis thesauris asportaverat. Hic Heraclius quando intrare voluit Hierusalem portans crucem Domini cum triumpho victoriæ, & cum magnifica gloria, angelus Domini conclusit ante eum portam civitatem dicens ei, *Rex calorum humilis hic intravit*. Qui erubescens, depositis insignibus imperialibus, & relicta pompa venit nudatis pedibus, humiliter incedens (angelus namque patefacta porta intromisit eum) cum omnibus exercitibus suis; sicque Heraclius reportavit crucem Domini cum magna veneratione in templum. Postea idem Heraclius imperator, à Sergio Patriarcha Constantinopoli, & ab aliis hæreticis circumventus in hæresim Eutychianam lapsus est: quæ hæresis negat in Christo esse duas naturas, sed solam divinam naturam in Christo esse dicit, non humanam.

Deus dedit papa LXXII. ordinatur. Sedit annis 3, mense uno. Hic constituit, ut Simoniacus non celebret missam. Constituit etiam, ut servi & criminosi, & etiam meretrices possint acculare Simoniacos,

Bonifaci.

Bonifacius papa LXXIII. ordinatur. Sedit annis 5.

Anno Domini DCXX. Honorius papa LXXIV. ordinatur. Sedit annis 12, mensibus 11. Tempore hujus papæ Isidorus episcopus Hispalensis & doctor claruit. Et Heraclius imperator victor Cosdroe rege Persarum crucem Domini in Hierusalem reduxit. Sub hoc papa Honorio institutum est festum Exaltationis sanctæ crucis. Hic Honorius papa primus fecit Romæ ecclesiam sancti Adriani martyris, in qua 11. corpora sunt, scilicet sancti Adriani, tum puerorum Nerei, & Achillei, & Pancratii, Marii & Marchæ, Audifari & Abacuc. Severinus papa LXXV. ordinatur. Sedit ann. 12.

Anno Domini DCXXXIX. Constantinus filius Heraclii imperium adeptus, regnavit mens. 6. Hic veneno occisus à germano suo Heracleona. Iste Heracleonas occiso fratre suo arripuit imperium, & regnavit cum matre sua Martina annis duobus.

Joannes papa LXXVI. ordinatur. Sedit anno uno, mensibus 8. Hic Joannes de thesauris ecclesiæ multos captivos redemit. Hic etiam omnes fautores hæreticorum excommunicavit.

Theodorus papa LXXVII. ordinatur. Sedit annis 6, mensibus 10. Ab hoc papa Pyrrhus regis urbis episcopus propter hæresim damnatur. Paulus etiam successor ejus propter eandem vesanam doctrinam damnatus est.

Anno Domini DCXLII. Constans filius Constantini, nepos Heraclii, imperium adeptus regnavit annis 28.

Anno Domini DCXLIX. Martinus papa LXXVIII. ordinatur. Sedit annis 7, mensibus 2. Hic multos hæreticos condemnavit. Hic constituit, ut in sexta feria propter passionem Domini jejunent fideles, & ut celebrent festive diem dominicum propter resurrectionem Domini. Constituit etiam, ut quicumque procuravit virilia amputari, missam non celebret. Constituit etiam ut quicumque dicto vel facto, aut præcepto, sive consilio homicidii reus est, irregularis sit, & à sacro ordine dejectus. Ab hoc imperatore Constante hæretico beatus Martinus papa in exilium missus est. Hujus etiam tempore, Eugenius papa LXXIX. ordinatur. Sedit annis 2, mensibus 9. Iste papa constituit, sicut & Stephanus papa, & beatus Gregorius papa, & Leo, & sexta synodus, ut nullus presbyter & diaconus vel subdiaconus uxorem habeat aut concubinam.

Anno Domini DCLXXII. Constantinus filius Constantis imperium adeptus, regnavit annis 17. Adeo datus papa LXXX, sedit annis 3, mens. 2. Hic constituit, ut Simoniacus non celebret missam nisi per dispensationem papæ.

Vitalianus papa LXXXI. ordinatus, sedit annis 14, mensibus 6. Iste papa aliqua de cantu officii divini constituit, anno Domini DCLXX. Iste papa Adeodatus leprosum mundavit osculando eum. Iste successit Dominus papa LXXXI. Sedit anno uno, mensibus 5. Hic fecit *paradisum* Romæ ante ecclesiam sancti Petri. Post hunc Agathon papa LXXXII. ordinatur. Sedit annis 11. Hic Agathon papa constituit, ut distinctus sit habitus virorum & foeminarum, in vestibus & crinibus. Sub hoc papa Constantinus imperator sextam synodum in Constantinopoli congregavit. Hujus imperatoris rogatu Agathon papa misit legatos suos ad concilium prælatum in regiam urbem, ubi præfuerat olim Episcopus, præsentem Gregorio patriarcha regis urbis, & Macario patriarcha Antioceno cum legatis sedis apostolicæ. Ibi convicti & condemnati sunt omnes hæretici, quos etiam sanctus Martinus papa convocato concilio condemnavit. Nam Eudochiani ibidem sunt specialiter condemnati. Leo papa LXXXIII. ordinatur. Sedit mensibus 10. Hujus festum est in vigilia apostolorum Petri & Pauli. Hic fecit sermones. Hic constituit, ut Archiepiscopus pro pallio nihil dare teneatur.

Benedictus papa LXXXIV. ordinatur. Sedit annis 11. Hic Papa S. Kilianum fecit episcopum; anno Domini DCLXXXVII, & duxit eum in Germaniam, ut ecclesiam plantaret, & gentes converteret ad Christum.

Anno Domini DCLXXXVII, Justinianus filius Constantini imperatoris imperium adeptus regnavit annis 10. Ille pro malitia sua odiosus omnibus naso truncatus interfectus est. Hujus temporibus Sergius papa LXXV. ordinatur. Sedit annis 13, mensibus 2. Hic Agnus Dei composuit, & ad missam dici instituit. Hic papa in sacratio Petri Apostoli capsam argenteam domino revelante reperit, diversis gemmis ornatam, in qua invenit magnam portionem Domine crucis, quæ in basilica sancti Salvatoris mundi reposita annuatim reverenter ostenditur. Leo imperium adeptus, regnavit annis 3. Ille nihil habet historiæ.

Anno Domini DCC, Tiberius imperium adeptus, regnavit annis septem. Hujus temporibus sanctus Lombertus Turgensis vel Trajectensis Episcopus à Nyrtone tyranno apud Leodiam passus est.

Anno Domini DCCI, Joannes papa LXXXVIII. ordinatur. Sedit annis 3, mensibus 2. Sub hoc papa Dagobertus Rex Francorum fundavit monasterium sancti Petri in *Erffordia*, nam ipse mons antea Merwigisburg vocabatur; sed ipse Rex montem S. Petri appellavit. Tunc temporis sanctus Oswaldus Rex apud Angliam vixit mens. 10.

Joannes papa LXXXIX. ordinatur. Sedit anno uno.

Gedeon papa XC. ordinatus sedit.

Joannes papa XCI. sedit annis 2. mens. 7.

Isidorus papa XCII. ordinatus, sedit dies 20.

Constantinus papa XCCIII. ordinatur. Sedit annis 7.

Anno Domini DCCVII. Justinianus imperium adeptus, regnavit ann. 6. Ille à regno eiectus iterum restituitur.

Anno Domini DCCXIV. Anastasius imperium adeptus, regnavit annis 3. Hic deposita corona regni clericus factus est. Hujus temporibus Gregorius papa XCIV. ordinatur, sedit annis

11. Tunc temporis sub hoc Gregorio papa beatus Ægidius Abbas claruit. Hic constituit, ut in quadagesima in quinta feria jejunium fieret & missæ, quæ ante non fiebant.

Anno Domini DCCXVII. Gregorius papa XCV. ordinatur, sedit annis decem. Hic Gregorius papa sanctum Bonifacium ordinavit in Archiepiscopum Moguntinum, & ei pallium dedit. Nam Moguntina ecclesia antea fuit sub Archiepiscopatu Wormatiensi, & erant 16. suffraganei Wormatiensis Archiepiscopatus. Hic Gregorius papa festivitatem omnium sanctorum instituit, quam prius papa Bonifacius, dedicato templo Pantheon in honore sanctæ Dei genetricis Mariæ & omnium martyrum, servandam instituit. Unde ille sermo quem legimus sancti Maximi episcopi, vel legimus in ecclesiast. historia, congruit festo omnium sanctorum.

Theodosius violenter coactus suscepit imperium, & regnavit anno uno. Hic Anastasium imperatorem magno prælio vicit, & eum clericum fieri coegit, & postea fecit se presbyterum ordinari. Similiter ipse Theodosius postquam uno anno regnavit, factus est clericus, & residuum vitæ suæ in pace transegit.

Anno Domini DCCXXIII. Leo imperium adeptus, regnavit annis 15. Hic in Christianos, & ecclesiam Dei, atque in religionem sanctam impius, & crudelis in imagines Domini Salvatoris, & sanctæ Mariæ, & aliorum sanctorum, in medio civitatis Constantinopolis incendio tradidit, & multos Christianorum qui non consenterunt huic impietati, decollari iussit. Unde hic Papa Gregorius anathematizavit eum, & Romam cum tota Italia ab ejus imperio recedere fecit. Et idem Gregorius instituit, ut si quis sacrarum imaginum destructor extiterit, excommunicatus sit, vel si imaginibus Christi vel sanctorum blasphemiam intulerit.

Anno Domini DC CXX, venerabilis Beda claruit. Nota hic, quare ipse sit nominatus Venerabilis presbyter. Hic cum multo tempore studio sacræ scripturæ deditus fuisset, in provecuta ætate caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat. Cum irisores quidam illudentes ei quadam vice dixerunt. Beda ecce plebs congregata est expectans verbum Dei: surge & prædica eis. Qui sitiens salutem animarum, ut solebat, ascendit & prædicavit putans ibi esse populum, cum nullus esset, nisi illi subsannatores. Cumque sermonem concluderet dicens, *Hoc nobis præstare dignetur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*: responderunt sancti Angeli in aere dicentes, *Amen*. Ille venerabilis Beda dicit de monumento Domini, quod Domus fuit rotunda de subiacente rupe excelsa, & tantæ altitudinis, quod vix homo manu extensa culmen attingere possit, introitum habens ab Oriente, cui magnus lapis appositus erat pro ostio. In parte ejus aquilonari locus domini corporis de eadem petra factus est, 7. pedes habens longitudinis tribus palmis altius tereti pavimento eminens, quasi sarcophagus fundamento superpositus. Item in ipso pariete locus erat, sicut in muris domorum fit ad utensilia reponenda. Locus ille non desuper sed à latere meridiano fuit parulus, ubi corpus domini inferebatur, ut esset quasi sarcophagus superlatus inclinatus, aperturam à latere habens non desuper. Color monumenti ejusdem & loculi rubicundo & albo permixtus erat, sicut in marmore solet. Idem Beda scribit etiam exemplum de milite nolente confiteri: item aliud de milite captivo, qui liberatus fuit per missas. Et notandum est per idem exemplum, & per alia multa exempla, quod missæ profunt corporibus & animabus. Sub præfato Gregorio papa anno Domini 736, initium *Hersveldense monasterium* habuit. Tunc præclarus doctor Beda obiit in Anglia.

De ortu Caroli Magni imperatoris.

Anno Domini DCCXLII, Carolus Magnus natus est.

Anno Domini D CCXLIV, initium Fuldensis ecclesia habuit à sancto Bonifacio fundatore sicut & Heresfeldensis ecclesia. Sanctus Burchardus à Papa Gregorio III. rogatu sancti Bonifacii ordinatur Episcopus in Wortzeborg. Sanctus Bonifacius cum Carlomanno Rege magnam synodum celebravit.

Anno Domini DCCXLVII, Sanctus Wigbertus confessor migravit ad Christum, & Carlomannus Rex Monachus factus est Romæ. Ille igitur papa plurimas misit epistolas sancto Bonifacio.

Zacharias papa XCIV, ordinatur. Sedit annis 18. Hic natione Græcus transtulit IV. libros dialog. beati Greg. in linguam Græcam. Hic constituit, ut sacerdos ad celebranda missarum solemnia cum baculo non intraret, nec velato capite juxta altare staret. Hic Zacharias papa primo dedit eleemosinas generales omnibus egenis in atrio, quod usque adhuc in curia tene-

D d d d

tur.

tur. Sub hoc papa Zacharia anno Domini DCCL, Pipinus pater Caroli in Regem inunctus est: à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Bavaria Episcopatum facta est distributio: sed ex decreto Zachariae papae consensu Pipini Regis videlicet in Saltzburg, in Ratispona, in Eistaten & Frisingen.

Anno DCCLII, Constantinus filius Leonis imperatoris imperium adeptus, regnavit annis 34. Hic perniciosissimus erat: ferus persecutor legum: non legitime sed tyrannice usus est imperio: ascendens à Deo, & ejus sancta Dei genitrice, & omnibus sanctis: insistens luxuriis, magicis maleficiis, & cruentis sacrificiis idolorum, & invocationibus daemonum, ac omnibus vitiis, persecutionibus ecclesiarum, violationibus monasteriorum, monachorum peremptoribus, variisque malis supercrefcens non minus, quam Diocletianus imperium.

Hic papa Zacharias constituit, ut nulli in matrimonium jungantur, per quos patres eorum sint *compatres* effecti: hoc est, quod nullus sororem suam spirituales ducat in uxorem, quam suus pater vel mater levavit de baptismo.

Anno Domini DCCLVI, Stephanus papa XCV. ordinatur. Sedit annis 15. mensibus 3.

Paulus papa XCVI, ordinatur. Sedit annis 5, mens. 2.

Stephanus papa XCVII, ordinatur. Sedit annis 3, mens. 6.

Leo filius Constantini imperium adeptus, regnavit annis 5.

Anno Domini DCCLXXXI, Constantinus filius Leonis imperium adeptus regnavit cum matre sua Irene annis 17. Cum opprimeretur ecclesia Romana à Rege Hastulpho, & praefatus Stephanus papa non inveniret auxilium ab isto Constantino: transiit ipse papa Romanus Stephanus natione Romanus, Romanum imperium in Teutonicos à Græcis, sc. in personam magnifici Regis Caroli filii Regis Pipini, extra de electione venerabilem. Vide * id est apparatus. Nam ipsi Germani habent regnum Romanæ ecclesiæ.

Adrianus papa XCVIII. ordinatur. Sedit annis 23, mens. 10. Hic papa & jus patronatus sive dignitatem contulit Carolo. Constantinus papa à Laicis ordinatur. Sedit anno 1.

Anno Domini DCCC. Leo papa. XCIX. à Petro ordinatur. Sedit an. 20. mens. 6. Hic Leo papa Carolum Regem Francorum filium Pipini Regis inunxit, & consecravit, & sollemniter coronavit in Romanorum imperium.

Anno Domini DCCCL. usque huc Romanum imperium à temporibus Constantini Magni filii Helenæ apud Constantinopolim mansit. Ex hoc jam per apostolicam auctoritatem in persona Caroli transiit ad Germanos. Iste Leo papa Romanorum imperatorem pronunciavit Carolum, & à cuncto populo acclamatum est in hunc modum, *Carolo Magno, Romanorum Augusto, & pacis imperatori, à Deo coronato, vita & victoria.* Hic Leo papa claves confessionis sancti Petri, & vexilla Romanæ urbis cum aliis muneribus Carolo misit. Iste papa constituit litanias 3, diebus ante Ascensionem Domini sicut Mamertus, & ipse papa fecit porticum sancti Petri. Iste Leo papa excæcatus est, lingua ejus amputata, nudus ac semivivus in platea Romæ relictus est: sed mirabiliter Domino disponente claros oculos & visum recepit. Unde in vindictam die uno in campo Lateranensi de Romanis majoribus CCCXCVI. decollati sunt, & multi in exilium deportati. Hic papa fuit accusatus crimine adulterii. Tunc discutiente Carolo imperatore causam, & cum nullus inveniretur criminis approbator, ipse Leo papa assumpto Evangelii textu coram Carolo & omni populo ascendit ambonem, invocato sanctæ Trinitatis nomine ab objecto se expurgavit. Hic papa fuit in Paderbrunnen cum Carolo imperatore.

Anno ab urbe condita MDLII, anno vero gratiæ DCCCL, Carolus Magnus rex, Pipini regis filius, imperium adeptus LXXVII. imperator à Cæsare Augusto regnavit annis XLVI, sed in imperio Romano XIV. Hic dilatavit fidem catholicam, fundavit ecclesiam, fundavit monasteria & ecclesias, expugnavit Sclavos, & repulit paganos, vicit Saxones, subegit Ungaricos & Saxones, & Frisones Christiani facti sunt. Multa quoque prodigia visa sunt. Signum enim crucis vestimentis hominum apparuit, & sanguis è cælo terraque profluxit. Hic Carolus imperator Aquisgrani feliciter defunctus est, & ibidem sepultus. Festum quoque ejus in die obitus sui sollemniter celebratur. Cui successit filius suus Ludovicus.

Anno Domini DCCCXV. Ludovicus filius Caroli Magni imperium adeptus, regnavit annis 26. Cujus tempore obiit Leo papa.

Stephanus papa ordinatus, sedit menses 7. Hic Stephanus papa Ludovicum filium Caroli diademate coronavit, & eum Romanorum imperatorem pronunciavit. Hic Ludovicus *Hildesheim* fundavit & Corbejam, sicut Carolus pater suus Fuldam, & Hersvelde, & Baderbrunnen, & multa alia. Sanctus *Ægidius Abbas confessor Caroli* migravit ad Christum. Huic sancto *Ægidio* Deus revelavit occultum quoddam peccatum, quod Carolus erubuit confiteri: quo sibi manifestato, mox Carolus confessus penituit digne de illo enormi excessu. Ipso quoque tempore cum Carolus laboraret in extremis, beatus Turpinus Remensis archiepiscopus Deo disponente vidit magnam turbam malignorum spirituum tendentem ad exitum Caroli: vocavitque unum ex illis præcipiens ei in virtute sanctæ Trinitatis, ut plene sibi renunciaret omnia. Qui cum aliis demonibus reversus dixit archiepiscopo: Cum omnia opera Caroli in statera examinata fuissent, & nostri

hostri principes tenebrarum jus in anima habere viderentur : sancti Angeli mox cum indignatione monasteria, structuras ecclesiarum, & diversa pondera in stateram projicientes, animam Caroli nobis repulsis quasi in sanctis operibus præponderantem cum gloria & laudibus deduxerunt. Hac audiens sanctus Turpinus Remensis archiepiscopus gratias egit Deo.

Ludewicus imperator convocato concilio magno in Aquisgrano multa de statu ecclesiæ & religionum utiliter tractavit. Ibi quoque regula monachorum de diversis patrum sententiis compilata est, & similiter regula canonicorum. Alia etiam Concilia sub hoc imperatore (ut videtur) celebrata sunt, scil. Moguntinum & Triburiense. Ipso defuncto in ecclesia Metensi sepultus est.

Anno Domini DCCCXVII. Paschalis Papa CI. ordinatur. Sedit ann. 7. Hic constituit, ut nullus omnino emat vel vendat ecclesiam aut præbendam, vel ecclesiastica sacramenta, & quod talis Simoniacus sit.

Anno Domini DCCCXXX. Eugenius Papa ordinatus, sedit annis 3. Hic constituit, ut nullum altare consecratur nisi lapideum. Et constituit, quod nullus presbyter celebret missam, nisi saltem ad minus super tabula consecrata, scilicet altare portatile, & cum aliis debitis attinentiis : & quod nullus clericus in sacris ordinibus habeat uxorem & concubinam.

Anno Domini DCCCXXXI. Valentinus Papa CIII. ordinatur. Hic sedit dies 40. Huic successit Gregorius Papa CIV. Hic sedit annis 17.

Anno Domini DCCCXXXVI. Hujus temporibus Ludewici Imperatoris Othgarus Moguntinus archiepiscopus transtulit ossa sancti Severi in *Erphordiam*. Ludowicus filius Ludowici imperium adeptus, regnavit annis 35. Hujus temporibus sanctus Martinus translatus est, cujus corpus CCCC & XL. annis in terris quieverat. Hujus etiam temporibus Hunorum, id est *Ungariorum rex*, nomine *Stephanus*, statura pusillus, corde magnus, nobilis progenie, nobilissimus fide quæ per dilectionem operatur, Christianus effectus, est baptizatus cum magnatibus & populo regni sui. Hujus sancti Stephani regis festivitas in Ungaria tanquam Apostoli solemniter celebratur. Iisdem temporibus imperator contulit ecclesiæ *Padilbornensi* patrum suum sanctum Liborium Episcopum & confessorem. Qui cum de Cenomannis apportaretur, ubi ipse fuerat Episcopus, & venisset apud Thuronum : ipsi Thuronenses cum capsa sancti Martini Episcopi pro reverentia eidem sancto Liborio processionaliter occurrerunt. Tunc quidam dives leprosus tetigit capsam beati Martini rogans ipsum, ut mundaret eum à lepra : cui sanctus Martinus audientibus circumstantibus de archa respondit, dicens : *Per medium totius corporis tui sis mundus à lepra, & accede ad fruem nostrum Liborium qui apportatur, rogans ut lepra tua reliquam partem mundari velit, quam ipse relinquo mundandam. Hospites namque honorandi sunt.* Quod cum homo ille fecisset, statim à reliqua parte mundatus est. Sicque à sanctis totaliter à lepra sua, tactis capsis eorum, cunctis videntibus, mundatus est.

Anno Domini DCCCXLI, defuncto Gregorio papa hujus nominis IV, Sergius papa CV, ordinatur. Sedit annis 3. Ille vocabatur *Os porci* : unde ab isto usque adhuc semper *mutatur nomen* papa. Hic constituit, ut debeat mutari nomen, quia Dominus Simonem appellavit Petrum, qui fuit primus papa.

Anno Domini DCCCXLIV, Leo papa CVI ordinatur. Sedit annos 8, menses 5. Hic constituit, ut octava Assumptionis beatæ virginis Mariæ sollemniter celebreretur. Et ut nullus presbyter plures missas in die celebret, quam unam tantum, excepto die nativitatis Domini, & in Dominica præsentis funere.

Anno Domini DCCCLVI, Rabanus Archiepiscopus Moguntinensis migravit ad Christum, Benedictus papa CVII. ordinatur. Sedit annis 2.

Paulus papa CVIII. ordinatur. Sedit annis 10, mensibus 2.

Anno Domini DCCCLX, Nicolaus papa CIX. ordinatur. Sedit annos 10, mens. 1. Hic excommunicavit duos imperatores, orientalem nomine Michaellem, & occidentalem nomine Lotharium, filium hujus imperatoris Ludowici. Hic papa constituit : ut nullus causam papæ judicet nisi ipse papa judicet seipsum *d. 21. Ut autem nisi papa Deus à fide esset, d. 40. Si papa.* Ille Nicolaus papa concessit, *Sequentias* pro jejunii cantari in missa, quas *Sequentias Notherus abbas sancti Galli* composuit. Item constituit, ut nullus clericus venationi insistat. Item constituit, ut qui- cunque facto vel dicto, aut præcepto sive consilio homicidii reus est, irregularis sit, & à sacro ordine dejectus.

Adrianus papa CX. ordinatur. Sedit anno uno. Hic constituit, ut nullus comes vel judex teneat placita secularia, videlicet causas sanguinis in ecclesia aut in domibus ecclesiarum, quia negotia spiritualia ibi tractari debent. Et constituit, quod ibi non hospitentur quasi ex debito, sed pranderent ex gratia.

Anno Domini DCCCLXXII, Carolus filius Ludevvici imperium adeptus regnavit annis XI, cum fratribus suis Carlomanno & Ludewico. Hic Carolus ejectus est à regno.

Martinus papa CXIII. ordinatur. Sedit anno uno, mens. 7.

Adrianus papa XICV. constituit, ut nullus Episcopus vel alius praelatus præsumat causas judicare *die Dominico*.

Stephanus papa CXV. ordinatur. Sedit annis 4. Carolus obiit.

Anno Domini DCCCLXXXVII, Arnolfus filius Carolomanni imperium adeptus regnavit annis 12. sed tantum viceimperator fuit. Hic Arnolfus imperator devoratus est à pediculis. Hujus temporibus praelium megnum factum est inter Bavaros & Ungaros. Huni, id est Ungari, vastaverunt Franciam. *Burchardus Thuringorum Dux* occisus est ab Ungaris.

Anno Domini DCCCC. temporibus Arnolphi Imperatoris Formosus papa CXVI. ordinatur. Sedit annis 4, mensibus 7. Hunc Formosum papam successor suus Sergius papa, scilicet eo quod contra ipsum ab aliquibus electus fuerat, sepultum extumulari fecit, & indutum pontificalibus poni fecit in sede apostolica, & iussit eum in sede apostolica decollari, & tribus digitis sibi amputatis, iussit eum exutum, pontificalibus ornamentis in Tiberim fluvium proici: cunctosque quos ipse Formosus ordinaverat, ipso gradu depositos ipse Sergius papa reordinavit. Qui Formosus papa à piscatoribus inventus in ecclesiam beati Petri Romæ portatus, videntibus religiosissimis viris sibi sanctorum imagines inclinaverunt. Sergius hostis Formosi papa ordinatus brevi tempore sedit.

De Papissa.

Fuit & alius pseudopapa, cujus nomen & anni ignorantur. Nam mulier erat, ut fatentur Romani, & elegantis formæ, magnæ scientiæ, & in hypocrisi magnæ vitæ. Hæc sub virili habitu latuit, quousque in papam eligitur. Et hæc in papatu concepit, & cum esset gravida, demon in Consistorio publice coram omnibus prodit factum, clamans ad papam hunc verum:

Papa pater patrum papissa pandito partum.

Arnolfo imperatore temporaliter mortuo, Ludowicus filius ejus successit ei in imperato. & regnavit annis 12. Hic Ludowicus cum Ungaris pugnavit & victus. Hujus Ludowici temporibus Bonifacius papa CXVIII. ordinatur. Sedit annis 13.

Anno Domini DCCCCXIV. Hatto Moguntinensis Episcopus à dæmonibus in puteum ignis in monte Siciliæ *Ætna* vivus præcipitur, dicente voce in aëre: *Sic peccata lues, sicque ruenda es.* Nam Albertum comitem de Babenberg dolose tradidit occidendum.

Anno Domini DCCCCXVII. Ludowicus Imperator obiit, & successit ei imperio Conradus & regnavit annis 7. In isto Carolorum reges & imperatores defecerunt. Hic Conradus sepultus est in Fulda.

De Saxonibus.

Anno Domini DCCCCXXIV. Henricus Saxo hujus nominis primus, filius Ottonis ducis regnum adeptus, regnavit annis 17. Iste dictus fuit Auceps, quia dum caperet aviculas, relictus electus est.

Stephanus papa CXIX. ordinatur. Sedit annis 6, mense uno.

Romanus papa CXX. ordinatur. Sedit annis 11.

Theodorus Papa CXXI. ordinatur. Sedit annis 8.

Anno Domini DCCCCXL. Otto filius Henrici imperatoris, imperator factus, regnavit annis 38. Iste dictus fuit Otto Magnus. Ipse fundavit archiepiscopatum Magdeburgensem. Uxor ejus fuit *Adelheidis* regina. Hæc citra Argentinam in littore Rheni, in *monasterio Selse* cum magna veneratione ab omni populo terræ pro sancta servatur. Hic Otto imperator pugnavit cum Ungaris, & magna cæde prostravit eos in campo, quid dicitur *Lechvelt*. Tempore illo *Haltmarus* abbas Fuldenis decessit. Signum crucis in vestimentis hominum apparuit. Hic Otto rogatus à Ruthenis, misit eis doctorem fidei catholicæ sanctum Adelbertum episcopum, qui postea martyrio coronatur. Hujus sancti Adelberri episcopi corpus in Pinga quiescit.

Joannes Papa CXXII. ordinatus, sedit annis 2. Hic papa Ottonem istum imperatorem consecravit.

Benedictus Papa CXXIII. ordinatur. Hunc dejecit de sede apostolica Otto. Hic Otto vocatus fuit in auditorium papæ Joannis Romam: quo consecrato Ottone magna synodus facta est Romæ, cui Otto imperator præsidebat cum multitudine episcoporum, clericorum, & monachorum: ibique dejectus est papa Benedictus à sede apostolica. Attamen ipse Otto Magnus imperator juratus dedit privilegium Joanni papæ, sicut & Carolus Magnus, & Ludowicus imperatores dederant ecclesiæ Romanæ, ut de electione Romani Pontificis, & de aliis pertinentibus beato Petro se non intromitterent, nisi de consilio papæ *d. 63. Tibi Domine sacrorum canonum postquam &c.*

Adrianus

Adrianus papa CXXI. constituit, ut nullus princeps de lectionibus episcoporum vel prælatorum aliquatenus intromitteret. Iste Otto Magnus venit tertia vice Romam. Postea in Thuringia mortuus est, sepultus autem in Magdeborg.

Anno Domini DCCCC LXIX. *Hatto Moguntinensis episcopus* devoratus est à muribus in Rheino, quia multitudinem pauperum cremavit in horreo tempore famis sub Joanne papa, & Ottone imperatore Magno.

Leo papa CXXV. ordinatus, sedit menses 6.

Sergius papa CXXVI ordinatus, sedit annis 6, mensibus 4.

Anastasius papa CXXVII. ordinatus, sedit anno uno, mense uno.

Mando papa CXXIX. ordinatur. Sedit mensibus 11.

Joannes papa CXXIX. ordinatur. Sedit annis 4, mensibus 11. Hic Joannes papa, rogante Ottone imperatore, fecit filium Ottonem secundum imperatorem, sed post ipse Otto secundus in regem fuerat Aquisgrani inunctus.

Leo papa CXXX. ordinatur. Sedit annis 7.

Stephanus papa CXXXI. ordinatur. Sedit annum & mensem unum.

Joannes papa CXXXI. ordinatur. Sedit annis 3, mensibus 6.

Agapetus papa CXXXIV. ordinatur. Sedit parum.

Joannes papa CXXXV. ordinatur. Sedit parum.

Benedictus papa CXXXVI. ordinatur. Sedit anno uno, menses V. Tempore hujus Papæ primus Otto qui dicitur Magnus, obiit.

Anno Domini DCCCCLXXVII, Otto secundus filius Ottonis Magni sive primi successit patri in imperio, & regnavit annis 9. Hujus uxor fuit Theophania imperatrix quæ venit de Græcia. *Sanctus Udalricus* Augustæ Episcopus migravit ad Christum. Iste Udalricus Episcopus fecit prandium cum *Conrado Constantiensi* Episcopo, & eodem die facto prandio celebravit missam solennem coram clero & populo. De hoc inculatus respondit, *Ego non comedi, sed caritas.* Et iste fuit secundus ejusdem nominis, & ambo sunt sancti, & eorum solemnitas in Svevia solemniter celebratur. Hic Otto secundus Imperator Magnum conflictum cum Sarracenis habuit in Calabria. Ibi de exercitu imperatoris plurimi nobiles occisi sunt, sed ipse imperator vix evasit vita commixta. Deinde veniens post male gestas res idem imperator cecidit in languorem, & obiit in Roma, & ibi sepultus est.

Leo Papa CXXXIX, sedit anno uno, mens. tribus.

Joannes Papa CXI. sedit annis 5, mens. 11.

Benedictus Papa CXLI. ordinatur. Sedit anno uno, mens. 5.

Dominus Papa CXLII. ordinatus, sedit anno 1, mens. 6.

Bonifacius Papa CXLIII. ordinatus, sedit mensem unum.

Benedictus Papa CXLIV. ordinatus sedit annum unum.

Hujus Papa temporibus obiit Otto secundus Imperator.

Anno Domini DCCCCLXXXVII, Otto filius Ottonis secundi imperium adeptus regnavit annis 17. Prius tamen fuerat unctus Aquisgrani in Regem. *Sanctus Wolfgangus* Ratisponensis Episcopus migravit ad Christum.

Joannes Papa CXLV. ordinatur. Sedit annis 8.

Joannes Papa CXLVI. sedit menses quatuor.

Joannes Papa CXLVII. sedit annis 10, mensibus 6. Gregorius Papa CXLVIII. ordinatur. Sedit annis uno, mensibus 6. Iste Otto imperator III. contra Crescentium Romam, ubi & Brunonem in sede Apostolica constituit, qui & Gregorius dictus est. Iste idem Gregorius Papa hunc Ottonem consecravit. Nam Joannes Placentius Episcopus sedem Apostolicam invaserat, & se gessit pro papa consilio Crescentii. Unde ab imperatore Ottone inde detrusus cum 12. suis ante urbem suspenditur, & Joannes pseudo papa prius Placentinus Episcopus excæcatus præcipitur. Idcirco usque adhuc nullus papa venire vult in montem Tarpeium ad arcem urbis Romæ, s. in Capitolium, ubi iste Joannes tormenta sustinuit. Ibi itaque semper ferebantur sententiæ mortis contra sceleratos & contra adversarios Romanorum. Post hunc papam Joannem CXLIX, qui sedit menses 10, & ultimo excæcatus & præcipitatus, Sylvester papa CL. ordinatur. Sedit annis 3, mensibus 5. Iste vocabatur *Gerbertus*. Iste dicitur in papatu magus & nigromanticus & diabolum prodigiis adorasse, & à diablo fuisse promissum, quod nunquam moreretur, nisi prius veniret in Hierusalem. Hoc intellexit papa de Hierusalem ultra mare, & quomodo voluit vixit. Sed cum hic Papa quadam die in capella quam construxit Constantinus & Helena, ubi plurimas reliquias recondiderunt, quæ vocatur Hierusalem, missarum solennia celebrasset: dixit ei suus diabolus, *Ecce in Hierusalem fuisti, nunc morieris tu, & non vires.* Quo audito, Sylvester & Gerbertus male sibi conscius, ostendens magna signa compunctionis in quadam capella quæ Romæ sita est inter Lateranum & Colliseum, iussit se ipsum amputatis manibus suis, & pedibus, & aliis membris enormiter & crudeliter mutilari, & sic vitam Gerbertus in ipsa capella finivit. Unde in eadem capella quæ Gerberti vocatur, nullus papa in detestationem illius facti postea intrare voluit. Post

istum Sylvestrum papam Joannes papa CLI. ordinatur. Sedit mens. 10. Ipsa capella quæ Romæ dicitur Hierusalem, facta est monasterium regularium, in quod foeminae non intrant. Ibi servatur titulus, quem scripsit Pilatus in tabula olivæ, *I. Iesus Nazarenus Rex Judæorum*, sub hoc versus *Hic crucis est almatitulus; crux incluta salve.*

Anno Domini M. imperator Otto III, *offa Caroli Magni* Aquisgrani à pluribus eousqueignorata invenit.

Anno Domini MI. Otto III. imperator Nativitatem Domini celebravit.

Anno Domini MII. Otto imperator III. dictus Rufus, obiit, cui successit Henricus. Hic Henricus Dux Bavarie imperium adeptus, regnavit annis 24. Hujus fuit sponsa sancta Konigundis. Hic Henricus fuit imperator LXXXVIII. à Cæsare Augusto. Iste construxit & fundavit episcoporum Babenberg, & similiter Merseburg, & Hildensheim, & Magdeburg, & Argentanam, & Misnam, quæ barbarica immanitate devastatæ fuerant, restauravit. In Hildensheim, ubi à puero enutritus & edoctus fuit, posuit S. Gothehardum in episcopum. Hic Gothehardus fuerat Abbas in Hersvelde. Summam etenim diligentiam hic imperator habuit amplificando cultu religionis. Sedes episcopales & ecclesias per universum regnum possessionibus multis & ornatis ditare cœpit. Hic amator fuit castitatis. Nam cum sponsa sua sibi dulcissima, sancta Konigundi virgine, ipse virgo permansit: sed hoc de pari consensu, ac voto communi & voluntario. Quod ut tamen hominibus occultum foret in lecto uno in clauso thalamo pariter dormierunt. Convocatis principibus regni sui Quedelingheborch curiam celebravit. Ibi universis consentientibus in id ipsum Poloniam, & Boemiam, cæterasque Sclavorum qui pagani erant adiacentes regiones debellare disposuit, congregatoque exercitu cum omnes perceptione corporis & sanguinis confortati fuissent, venerunt ad locum certaminis, & devotius orante Henrico imperatore aperti sunt oculi ejus, & vidit gloriosos martyres, Laurentium, Georgium, & Adrianum cum Angelo percutiente exercitum suum præcedentes, & hostes fugantes. Sic victor sine effusione sanguinis sibi subegit illos, & gratias egit Deo cum suis. Apuliam à Græcis diu possessam Romano imperio recuperavit. Pannoniam, & Ungariam, nec non Burgundiam subegit vir iste victoriosus. Cumque rediret de Apulia, cœpit infirmitate calculi laborare: quæ cum plurimum torqueretur, omnia patientia sustinuit. Ascendit quoque montem Cassinum, petiturus meritis sanctissimi abbatis Benedicti, & beatæ Scholasticæ virginis sanitatis remedium. Facta vero oratione, & in hospitio obdormiente, vidit beatissimum Benedictum dicentem sibi, *Quia sperasti in Deo & in sanctis suis, ecce missus sum à Deo, ut liberem te ab infirmitate tua.* Hæc dicens sanctissimus Benedictus abbas, cum ferro medicinali partem illam corporis ubi habitabat calculus, aperuit, & mollior calculo effuso hiatum vulneris mox sanavit, & calculum in manu imperatoris posuit. Qui vigilans calculum in manu invenit, quem suis ostendens gratias egit Deo, & locum illum multis donis ditavit. Tempore hujus imperatoris archiepiscopus fuit in Moguntia nomine Willigis. Ille quia humilem progeniem habuit, & patrem qui currus & bigas facere solebat, in thalamo ornato grossis literis scribi iussit, cujus ipse clavem reservans solus introire consuevit, & legere scripturam quæ talis erat: *Willigis, Willigis, recole unde venis.* Hæc in lingua Teutonica scripta erant. Appendebat etiam rotas, & hujusmodi instrumenta in pariete circumcirca: quibus suam sapientiam & statum suæ paupertatis intente (ut fertur) agnoscebat. Usque adhuc habentur rotæ duæ quasi aratri in vexillo ecclesiæ Moguntinæ. Ille Archiepiscopus majorem Moguntinensem ecclesiam, & sancti Albani ecclesiam construxit. Joannes papa CLII. ordinatur. Sedit mensib. 3.

Sergius papa CLIII. ordinatur. Sedit annis 3.

Benedictus papa CLIV. hujus nominis VIII. ordinatus, sedit annis 11., mensibus 11. Ad hunc papam Henricus imperator iste venit Romam, & fuit ab eo honorifice ut decebat tractatus. Ille papa Benedictus venit ab eodem imperatore invitatus Babenberg, & ibi eum imperator solennissime suscepit hospitio. Ibi in sancta nocte Paschæ matutinali officio solemniter, primam legit lectionem patriarcha Aquilejensis, secundam lectionem archiepiscopus Ravennensis, tertiam papa. Ibi tunc præfatus papa præsentibus LXXII. episcopis & principibus aliis, sicut prædecessoris sui Joannes & Sergius Apostolici, ita & ipse dedit privilegium libertatis ecclesiæ in Babenberg. Hic papa Benedictus eodem tempore omnibus civitatibus Alemanniæ cum suis cardinalibus peragratis venit in Babenberg, ut prædictum est. Joannes papa CLV. ordinatur. Sedit annis 9, mens. 6. Hic Joannes papa etiam privilegium de libertate & rebus ecclesiæ Babenbergensi dedit. Sub hoc papa Henricus imperator servus Dei feliciter obiit, splendens miraculis, & sepultus est cum sua sponsa sancta Kunegunda in Babenberg, anno ætatis suæ 52. Tempore hujus imperatoris Henrici cum moreretur, merita animæ suæ in statera appensa sunt, & peccatis deprimentibus jam penæ pars dæmonum præponderaverat: tunc subito adustus quidam superveniens calice aureo partis dextræ lancem oneravit; moxque ea præponderante victores angeli animam in consortium supernorum civium deduxerunt. Hæc dixit unus dæmon à quodam Sancto compulsus. Nam ipse imperator calicem magnum aureum pertiosis gemmis ornatum obtulit Deo, & S. Laurentio martyri in Merseburg, quæ adhuc ibi est. Sub eodem impetatore anno Domini MXX, in villa campestri nomine Kolebeke Halberstatensis diocesis, quidam rusticus nomine Opertus duxit choream

chorem in sancta nocte Nativitatis domini, in cœmitorio infra matutinale officium non impedirent, nec vellent acquiescere, idem presbyter nomine Rupertus imprecatus est eis, & maledicta inculit vel congescit dicens, *Velit Deus propter merita sancti magni martyris patroni hujus nostre ecclesie, ut sic incessanter usque ad annum integrum continue chorizetis.* Quod à seculo non est auditum, illi XVIII. per annum continue sine cibo & potu absque tecto & somno, aliis hominibus admirantibus & compatiens, choream duxerunt, saltantes in ipso eodem loco & cantantes incessanter, quousque Archiepiscopus Colonienfis nomine Hubertus misericordia motus venit illuc, & ipsos in nomine Domini à tali vinculo choreæ liberavit. Quibus liberatis, IV. ex ipsis statim mortui sunt, alii refocillati resumpserunt vires, & egerunt poenitentiam. Benedictus papa CLVI. ordinatur. Sedit annis 14. Iste defunctus est, & sepultus in Hamborg Bremenfis diocesis.

Anno Domini MXXV, Conradus Salicus imperium adeptus, regnavit annis 15. Hujus filius Henricus in Regem ungitur Aquisgrani per Peregrinum Coloniensem Archiepiscopum. Sylvester papa LVII. ordinatur. Sedit menses duos.

Gregorius papa CLVIII. ordinatur. Sedit anno uno, mensibus 6.

Sub hoc imperatore sancta Kunigundis obiit. Hæc sancta Kunigundis Augiam fundavit, & possessionibus, & ornamentis ipsam dotavit. Ibidem ipsa virgo, dum legeretur de Zachæo scilicet, & percurrens ascendit in arborem sycomoræam, depositis imperialibus indumentis induit nobilibus videntibus multas vestes religionis. Hujus sanctæ filia sororis fuit in illo loco abbatissa, quæ cum epularetur tempore passionis in quadam dominica, venit Christi virgo Kunigundis, & zelo justitiæ & correctionis dedit ei alapam, nam minus erat religiosa, ultima in choro, prima in convivio. Igitur alapa illius semper mansit vestigium abbatissæ in maxilla ejus, quasi digiti in cera essent pressi, propter alias in exemplum. Hæc sancta Kunigundis, ut se purgaret facta devota oratione audacter coram imperatore sponso ejus dum adhuc viveret, & coram principibus & multis aliis 12. candentes vomeres nudo vestigio calcavit & domino protegente penitus illæsa permansit. Nam auctore diabolo qui invadebat ejus virginitati, de crimine adulterii vehementer infamata fuit. Callidus namque diabolus transfiguratus est in formam militis speciosæ, tribus diebus continuis mane videbatur pluribus exire de thalamo sanctæ Kunigundis.

Sanctus Gothehardus Episcopus migravit ad Christum, qui successerat in Hildensheim sancto Berwardo.

Tempore hujus imperatoris qui vocabatur Conradus Salicus, anno Domini 1028. Orientalis ecclesia in Asia fortitudine regnorum, diversitate lingvarum, multitudine episcopatum, grandi spatio terrarum, magna valde, recessit ab obedientia sedis Apostolicæ. Aliter enim baptizant, generalia concilia non frequentant, statuta Romanorum pontificum non recipiunt, de fermentato conficiunt, de pane azymo conficere nolunt. Negant Spiritum sanctum procedere à filio sicut à patre. Ab ecclesiastica unitate scissi sunt, & in statum damnatorum. Verum occidentalis ecclesia catholica, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ subiecta & obediens, habet circiter Episcopos DCC & LXXII. Salicus Conradus obiit: sepultus est in Spira.

Anno Domini M XL, Henricus III, Conradi filius, regnavit annis 17. Clemens papa CLIX ordinatur. Sedit menses 10. Hic Teutonicus fuit. Henricus III. ipse Swickerum Babenbergensem episcopum, tribus invasoribus apostolicæ sedis & digne & juste expulsis quorum nomina ignorantur, papam constituens Clementem secundum appellavit: à quo ipse imperator Romæ, & conjunx ejus Agnes imperatrix, imperialem consecrationem suscepit. Hic Clemens Papa privilegium magnum ecclesiæ Babenbergensi dedit, & ipse Clemens Papa sepultus est in Babenberg.

Damasus Papa CLX. ordinatur. Sedit mens. 1. & hic Teutonicus Brixienfis episcopus nomine Poppo: quem mortuo Clemente Papa præfatus Henricus imperator Papam constituit, & Damasum appellavit. Post hunc Papam idem imperator Henricus Brunonem quendam episcopum & Teutonicum Papam constituit. Iste Papa CLXI. ordinatur, & Leo Papa IX. appellatus est. Sedit annis 5, mensibus 5. Hic Papa Leo Babenbergensi episcopo dedit pallium, quo uti potest tribus vicibus in anno: scilicet in die sancto Paschæ, in die Apostolorum Petri & Pauli; & in die beati Dionysii episcopi, qui tunc est anniversarius præfati Clementis Papæ. Tamen, ut dicit Leo papa in eodem privilegio, salva autoritate Domini [Archiepiscopi] Moguntinæ ecclesiæ pallio uti potest. Et constituit, ut juxta ecclesias fiant claustra ad disciplinam servandam.

Anno Domini M XLII. Bruno Herbipolensis episcopus obiit.

Anno Domini M L. idem Leo Papa IX, & cum eo Henricus imperator III. cum XLII episcopis, concilium magnum Moguntinæ celebravit, constituens ne ministri altaris vel monachi canes aut aves ad venandum sequantur, & ne temporaria lucra sequantur. Hic constituit, ut nullus monachus, nisi legitima ætate & spontanea voluntate, ex. de regula 63. si quis nullus, IV. temporum jejuniis nisi ab episcopis jejuniis ordinentur.

Post concilium Moguntinum Leo Papa & Henricus imperator in Aquisgrano pariter fuerunt.

Anno

Anno Domini MLIV, defuncto Leone Papa, Henricus imperator (a) Gothardum Teutonicum Papam constituit, qui Victor appellatus est. Hic Victor papa CLXII. ordinatur. Sedit annis 11, mensibus IV.

Hic etiam fuit in Teutonia & Bavaria cum Henrico imperatore. Isti Victori Papæ quidam subdiaconus toxicum in calicem misit: quem cum Papa ipse post consecrationem levare velleret non posset; à Domino causam facti inquisiturus cum populo ad orationem prosternitur, protinusque toxicator subdiaconus à dæmonio arripitur. Deinde Papa Victor iterum cum populo ad orationem prosternitur tamdiu, quousque subdiaconus à dæmonio liberatus fuit. Causa manifestata, ipse Papa Victor cum calice sanguinem Domini in altari quodam perpetuo recludi fecit, & iussit pro reliquiis servari. Hic constituit, quod IV. tempora cum jejuniis observentur, & quod nulli clerici ordinentur nisi in sabbato. Imperatoris filius Henricus unctus est in regem in Aquisgranio, ab Hermanno Colonienfi episcopo.

Anno Domini MLVI. Henricus imperator tertius defunctus est, & sepultus est in Spira. In illa sepultura imperatoris multæ solemnes personæ venerant. Nam Victor Papa, & Patriarcha Aquilejensis, ac plurimi episcopi, & alii nobiles multi erant ibi. Cui Henricus IV. ejus filius successit, & regnavit annis 48. Iste cum regnare cœpit, erat 10. annorum, sed mater sua imperatrix Agnes in administratione reipublicæ strenuè & nobiliter gubernavit tam magnates quam alios.

Anno Domini MLVII. Stephanus papa CLXIII. ordinatur. Sedit menses 8. Iste Papa de alto sanguine, scilicet germanus frater ducis Lotharingæ, & Teutonicus fuit. Cardinalis quoque cum esset & archidiaconus ecclesiæ Romanæ, relinquens omnia reddidit se religioni; factus est monachus in monte Cassino. Inde communi consensu omnium Romanorum in Papam eligitur.

Anno Domini MLIX. Benedictus Papa LXIV. ordinatur. Sedit menses 2. Iste fuit Larenensis, & sedem Apostolicam inconsulto rege & principibus invasit, adjutus favore popularium, quos pecunia corruerat. Rex autem Henricus IV. habita cum primoribus deliberatione, Gerhardum Florentinum episcopum, in quem Romanorum & Teutonicorum studia concurrerunt, constituit in papam. Ita Benedicto qui sibi papatum usurpaverat, dejecto; Papatum obtinuit Gerhardus; & ipse dictus est Nicolaus papa CLXV, & sedit annis 3, & mensib. 6. Hic constituit, ut nullus clericus venationi instaret. Constituit etiam, ut dicto & facto homicidii reus sit de sacro ordine dejectus. Et constituit, ut nullus in sacro ordine constitutus uxorem vel concubinam habeat.

Alexander II. papa CLXVI. ordinatur. Sedit annis 9, mensibus 6. Hic papa obtinuit papatum à Rege Henrico IV, positus & virtute militum, & favore principum. Iste Alexander vocabatur Anselmus Episcopus in Lucka, sed alius quidam Parmensis usurpaverat sibi papatum, Alexander vero prævaluit. Hic Alexander II. constituit dimitti *Alleluja* in sabbato LXX. usque in vigiliam Paschæ. Sub hoc papa anno Domini MLXXI, Archiepiscopus Colonienfis posuit monachos in Salvett, expulsis inde canonicis. Iste Dominus animo (b) virtuosus vir tondavit Siegeberg & Grascaf, & ibi locavit monachos; & fundavit in Colonia duas ecclesias, sanctæ Mariæ ad gradus, & sancti Georgii martyris. In his duabus ipse Episcopus locavit canonicos. Hic papa Alexander II. constituit etiam, ut si ordinatus ad sacros ordines nondum est baptizatus, sive fuerit Episcopus, sive Clericus, baptizetur, & iterum ordinetur per singulos gradus, quia baptismus est janua omnium sacramentorum. Constituit etiam ut nullus presbyter, sive diaconus, vel subdiaconus, uxorem habeat sive concubinam in occidentali ecclesiâ, sed ut sint casti.

Anno Domini MLXXVI, Gregorius papa hujus nominis VII, à beato Petro CLXXVII. ordinatur. Sedit annis 15. mensem unum. Iste vocabatur Hildebrandus, & fuit in scripturis valde eruditus. Hic constituit jejunium IV. temporum in Martio: & constituit, ut omnium sanctorum martyrum, & sanctorum Romanorum pontificum solemnitates ubique annuatim cum pleno officio celebrentur. Hic Gregorius papa capitur, & incarceratus & terreis vinculis constrictus fuit à Romanis. Quamobrem ipse papa Henricum Regem IV. excommunicavit, similiter & Coloniensem Episcopum, & plures Episcopos Teutoniæ, & nobiles, quorum consilio captus fuit. Iste papa etiam stricte sub pœna auguria inhibuit & sortilegia, & incantationes, & magicas artes. Tempore hujus Gregorii papæ fuit bellum in Welstzolt inter hunc Henricum imperatorem & Saxones, ubi multus sanguis effusus est. (c)

Anno Domini MCX. victus est imperator.

Victor papa CLXVIII. ordinatur. Sedit menses 4. Iste in schismate schismaticus fuit.

Urbanus papa CLXIX. ordinatur. Sedit annis 11. mensibus 6. Iste papa in concilio Placentino composuit, & in missa constituit præfationem beatæ virginis, videlicet *Ecce* inveneratione, vel in assumptione beatæ virginis. Tunc temporis monasterium in Reinesborn initium habuit. Hic papa constituit, ut nullus ad pœnitentiam suscipiat commissum presbytero alteri, nisi in casibus exceptis. Sub hoc papa incepit ordo Cisterciensium.

Paschalis

(a) Gebhardum (b) pro animo, lege Anno (c) Confunditur Henricus V. cum quarto.

Paschalis papa CLXX. ordinatur. Sedit annis 19. Hic constituit, ut nullus emat vel vendat ecclesiastica beneficia vel ecclesiastica sacramenta.

Gelasius Papa CLXXI. ordinatur. Sedit anno uno. Sub hoc Papa Henricus imperator obiit, & sepultus est in Spira, cui successit filius ejus Henricus V. & regnavit annis 20, & sepultus est in Spira super IV. tumbas prædictorum imperatorum, videlicet Conradi & trium Henricorum in Spira, unus versus scriptus est divisim, qui complectitur omnes tumbas in hunc modum, *Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet isthic.*

Calixtus Papa CLXXII. ordinatur. Sedit annis 5, mensibus 10.

Honorius papa CLXXIII. ordinatur. Sedit annis 5, mensibus 6.

Anno Domini MCXI. cuidam monacho sancti Laurentii extra muros Romæ moranti, cingulo suo quo cinctus erat insoluto ante eum projecto: vox in aere facta est, *Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.*

Anno Domini MCXXVI. Norbertus archiepiscopus in Magdeborch claruit.

Anno Domini MCXXVIII. ordo templariorum confirmatur ab Honorio papa, & ipso anno fundatur Waltzenret^(a) claustrum.

Anno Domini MCXXX. Honorio papa defuncto protinus duo per dissensionem loco ejus constituuntur, scilicet Innocentius & Anacletus. Ambo uno die Romæ electi; ambo uno die consecrati; sed Anacletus majoris potentiae Romam obtinuit, Innocentius vero in Galliam fugit. Tandem Innocentius papatum obtinuit.

Innocentius Papa CLXIV. ordinatur. Sedit annis 13, mensibus 6. Ille Innocentius II. construxit ecclesiam sanctæ Dei genetricis Mariæ Romæ ad fontem olei, quod erupit in Nativitate Domini. Et tunc de ipsa terra madida ex oleo sanitatem multi receperunt. Hic papa prohibuit artem balistarum & sagittariorum exerceri contra Christianos, & hoc sub anathemate. Constituit etiam, ut sacerdos qui corpus Domini in missa conficit & immolat, omnibus modis debeat sumere corpus Domini. Constituit etiam, ut moniales cum clericis & monachis in uno choro non conveniant ad psallendum. Constituit etiam violentos injectores manuum in clericos vel religiosos ipso facto esse excommunicatos. Defuncto Henrico V. imperatore, anno Domini MCXXV. tempore hujus papæ Innocentii II. Lotharius Dux Saxonum imperium adeptus, regnavit annis 13. Hic fundavit monasterium Lutere apud Bremenenses, & ibidem ipse Lotharius defunctus est. Hujus Lotharii anno II. facta est translatio sancti Nicolai episcopi de Myrreha in Batis^(b) cum in terra quievisset DCCLXXV. annis.

Anno Domini MCXXXII. fundatur claustrum vallis sancti Georgii.

Anno Domini MCXXXVIII. Conradus trater Frederici Ducis Svevorum imperium adeptus, regnavit annis 15. Sepultus quiescit in Spira. Celestinus Papa CLXXV. ordinatur. Sedit annis 5. Constituit, ut pro alba ampla & longa, quam sanctus Gregorius Papa instituit, alba stricta & non cincta continue utatur papa.

Lucius Papa CLXXVI. ordinatur. Sedit menses II. Eugenius Papa CLXXVII. ordinatur. Sedit annis 8, mens. 5. Hic fuerat monachus & discipulus S. Bernardi. Ad hunc S. Bernardus scripsit librum considerationis. Hic Eugenius Papa canonizavit S. Henricum imperatorem de Babenberg, rogatu Conradi imperatoris & prælatorum. Hanc sancti canonizationem quidam cardinalis nomine Joannes vehementer impediens, oculorum lumine est privatus. Sed cum desineret prænitens, & plurimum laudaret ipsum sanctum Henricum, lumen oculorum confestim publice recepit. Hic etiam constituit, ut studium in ecclesiis habeatur in Grammatica & in liberalibus artibus.

Anastasius papa CLXXVIII. ordinatur. Sedit anno uno.

Anno Domini MCLIV. beatus Bernhardus migravit ad Christum. Fuit enim XXIII. annorum, cum intravit religionem, & cum XXX. sociis intravit religionem LXIX. annos habuit cum obiit, & amplius quam C. & LX. monasteria reliquit, quæ ipse tempore suo fere omnia instituit.

Eodem tempore Fredericus Dux Svevorum imperium adeptus, regnavit ann. 39. Ille imperator anno Domini MCLXII. Mediolanum cepit & expugnavit muros ejus, & subvertit omnia ibi, & vastavit. Tunc Reinoldus Coloniensis archiepiscopus, qui cum potenti manu ibi fuit, loco salarii & stipendii impetravit ab imperatore trium magorum corpora, quæ Mediolanum extra muros ante portam in ecclesia Eustorii servabantur in uno sarcophago marmoreo: quibus habitis in Coloniâ quasi triumphator secum tulit gaudens, & ibi in majori ecclesia honorabiliter collocavit. Ille Fridericus imperator, vir catholicus, peregre profectus ultra mare per desertum Romanie, cum multa militia cruce signatorum, postquam gloriose triumphaverat de inimicis crucis Christi, in modico fluvio, in quem balneandi gratia post meridiem descenderat, apud Armeniam in die S. Barnabæ Apostoli multis præsentibus submersus est. Huic Friderico seniori imperatori misit Soldanus nobile vas, scilicet sinaragdinum, plenum balsamo. Et nunciis videntibus postquam multum laudaverat imperator, ipsum vas projecit, & in frustra contregit, dicens: Ego solus

E e e e

lus

(a) Walckenred, (b) in Baris.

lus non habeo pretiosa hæc, sed alii mecum. Et de nobilibus ibi præsentibus unusquisque collegit quod voluit. Tempore hujus Friderici imperatoris magister Gratianus compilavit decretum, ut videtur, & magister Petrus Longobardus sententiarum libros IV, & abbas Joachim libros suos. Tempore hujus præfati imperatoris successive papæ VII. fuerunt.

Adrianus Papa CLXXIX. ordinatur. Sedit annis 4, mensibus 9.

Alexander Papa CLXXX. ordinatur. Sedit annis 21. Cum ipso Papa Alexandro tertio per diffensionem cardinalium Victor schismaticus electus est: & simul ambo consecrati sunt. Tunc Alexander Papa in Franciam fugit tempore schismatis, & ipse Papatum obtinuit. Sub hoc Papa S. Thomas Canthuariensis archiepiscopus occisus est, anno Domini MCXXIV. Hic Papa constituit, ut nullus novus sanctus in veneratione habeatur, nisi ex auctoritate apostolica, & nisi sit canonizatus, à Papa tamen. Ante quilibet diaconus suum sanctum solemniiter canonizavit. Exemplum de sanctis scilicet Martino, Ambrosio & Borchardo, Wigberto, Severo, & Augustino & aliis. Hic etiam constituit, quod clerici ordinari possunt in sabbato Sicientes, & quod clerici homicidæ ordinari non debent. Et constituit in personas & loca sententiam fieri interdicti. Hic Alexander Papa etiam constituit, quod Papa à duabus partibus cardinalium eligatur ad minus, & quod excommunicatus sit ipso facto qui aliter se gesserit pro papa, *ext. de electione litis*. Constituit etiam, ut nullus clericus habeat duas vicarias. Et constituit, ut conjugati intrantes religionem separentur auctoritate Episcopi diocesani, & ambo caste vivant. Et constituit etiam de affinitate scilicet, ut nullus contrahat cum cognata ejus usque ad quartum gradum, quam carnaliter cognovit. Et constituit de spirituali cognatione, scilicet quod ducat in uxorem. Et constituit, ut nullus in sacris ordinibus habeat uxorem vel concubinam. Et constituit, ut sicut filius hæres solvere debet debita patris sui, ita prælatus debet debita solvere prædecessoris sui pro necessitate ecclesiæ suæ contracta.

Anno Domini MCLXXXI, defuncto Alexandro Papa, Lucius Papa CLXXXI. ordinatur. Sedit annis 3. Hic constituit, ut missa presbyteri quamdiu toleratur ab ecclesia, id est, quamdiu non condemnatur, potest audiri, & possunt ab eo recipi ecclesiastica sacramenta. Sub hoc papa Lucio III, Franciscus ille à Deo præelectus Massizio (a) natus. Hic Lucius etiam constituit sententiam interdicti.

Urbanus Papa CLXXXII. ordinatur. Sedit annis 2.

Gregorius Papa CLXXXIII. ordinatur. Sedit mens. 4.

Clemens Papa LXXXIV. ordinatur. Sedit annis 3. Hic Clemens Papa constituit, ut tempore feriarum non fiat traditio sponsarum vel solemnitas nuptiarum: à dominica ante Ascensionem Domini usque ad octavam Pentecostes; & à dominica Adventus usque Post octavam Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad octavam Paschæ. Constituit etiam, ut clerici non pugnent in duello, nec pro se pugiles introducant. Et constituit, ut clericus qui procuravit amputari sibi virilia & genitalia, missam non celebret. Et constituit, ut nullus suam commatrem ducat in uxorem. Celestinus papa CLXXXV. ordinatur. Sedit annis 7. Pontificatus hujus anno illi, prædictus Fredericus imperator submersus, cui successit filius suus Henricus.

Anno Domini MCXC, Henricus imperium adeptus, regnavit annis 7. Cum esset rex in Erphordia eo præfente anno Domini MCXCIV, quidam comites & nobiles in cloacam cadentes ruptis trabibus pariter numero 7. interierunt. Iste imperator veneno interiit, & sepultus est in Spira. Hujus imperatoris frater Philippus Rex in regni schismate, cum tamen esset Dux Suevorum, regnavit annis 11, & in Babenberg (b) de Witlinzbach anno Domini MCXCVIII, occisus est, & sepultus est in Spira. Ipse etiam Palatinus, cum profugus evalisset, in quadam granga monachorum nimis securus, ludendo provocaret vervecem trudendo cum clypeo, subito ab amicis Philippi irruentibus in videntiam fusi sanguinis occisus est. Hic Papa Celestinus III. constituit ut in ecclesiis conventualibus celebretur electio de prælato, & constituit quod bigami non ordinentur & constituit, ut nullus duos sacros ordines uno die recipiat, & quod pueri cum venerint ad annos discretionis, id est ad 15. annos, si noluerint remanere in claustris licite possint ire ad seculum & hæreditatem suam.

Anno Domini MCXCVIII, Henrici anno IV, Innocentius papa CLXXXVI. ordinatur. Sedit annis 16. Iste vocabatur Lothardus natus de nobilibus Romanis.

Anno Domini MCC, sub hoc papa Innocentio tertio, & tempore Henrici imperatoris cepit in Accon ordo fratrum Teutonice domus. Hic papa fuit eruditus valde & plurimum eloquens. Hic composuit librum de sacramento altaris, & sermones, & librum de miseria humana. Hic fecit plurimas decretales. Hujus Papæ Innocentii III. pontificatus anno vero Dom. MCCVI, Franciscus ut sapiens architectus cepit pœnitentiam agere, & Deo misericorditer disponente ordinem fratrum minorum, & tunc ipse præfatus papa statim, ut vidit & audivit S. Franciscum, divinitus inspiratum ordinem approbavit, dans sancto Francisco mandatum, ut prædicaret verbum Dei & suis sociis. Hic papa constituit, ut ultra quartum gradum licite contrahatur matrimonium.

(a) leg. in Assisio. (b) à palatino de Wittinsbach.

nium. Hic etiam constituit, ut si aliquis in excommunicatione mortuus est, qui iudicia manifeste poenitentiae habuit, debeat extumulari, & absolvi, & recipi cum suffragiis ad ecclesiasticam sepulturam, *ext. de sen. à nobis est qui sic.* Hic papa confirmavit regulam & ordinem sanctae Trinitatis. Hi fratres totam substantiam dividunt annuatim in tria, unam in proprios usus peregrinorum & pauperum, tertiam partem mittunt ultra mare in redemptionem captivorum.

Anno Domini MCCIV. sub hoc Papa civitas Constantinopolitana capta est, & spolata à Christianis plurimis divitiis, & rebus ac multis sanctorum reliquiis, ut apparet in *Veneria* & in *Halberstat.* Hic Papa Innocentius declaravit, qui Principes Teutoniae jus habent in eligendo regem, promovendo (a) si non fuerit haereticus aut stolidus, vel perpetuo infirmus, (b) imperatorem Romanorum *ext. de electi. Venerabile.* Hic constituit, quod qui alteri conjungitur altero invito ante carnalem copulam potest eligere religionem. Et hoc constituit similiter Alexander Papa III. Ille Papa Innocentius III. statuit, in omnium Christianorum provincia distingvatur notabiliter habitus Judaeorum in utroque sexu. Constituit etiam, quod nullus clericus in sacris ordinibus habeat uxorem vel concubinam in Occidentali ecclesia. Constituit etiam, ut nullus clericus habeat plura beneficia ecclesiastica vel duas dignitates, absque dispensatione sedis ecclesiasticae. (c)

Anno Domini MCCXII, per beatum Franciscum & sanctam Claram virginem incepit ordo pauperum dominarum, videlicet post sextum annum conversionis S. Francisci. Eodem tempore regina Ungariae, mater S. Elizabeth occisa est, & pueri profecti sunt ultra mare cum multitudine, sed peregrinatio annihilata periit. Hic Papa Innocentius etiam constituit, ut quilibet adultus ad minus semel in anno plebano suo confiteatur, & ad minus ad Pascha percipiat corpus Domini, nisi de consilio suo abstineat, & constituit quod confessor nulla ratione prodat peccatum confitentis, *ext. de poenitent. & re. Omnis utriusque.* Et constituit, quod quilibet religiosus ad arctiorem ordinem postulata licentia, etsi non detur licentia, licite possit transire. Et constituit, quod novitii non recipiantur ad professionem, nisi finito anno probationis, quamvis novitii renunciare possint suo juri. Hic etiam constituit, ut praelati subditos clericos suos seu presbyteros exactioribus gravare non praesumant, & visitantes parochias & ecclesias evectionum numerum non excedant, ita quod episcopi XX. vel XXX. habeant, archidiaconi V. vel VII, diaconi sive archipresbyteri II, & quod sine canibus venaticis & avibus proficiantur, ne graventur ecclesiae nimis expensarum, *ext. de censibus. Cum ampl.* Et constituit ut apostolorum vigiliae jejunentur, exceptis Philippis & Jacobi, & Joannis Evangelistae & Barnabae: & quod infirmi in jejuniis possint comedere carnes, ut majus periculum evitetur, & quando urgens necessitas requirit. Et constituit, quod in ecclesiis doctores & studium Grammaticae habeantur, & qui metropolitana ecclesia magistrum habeat qui legat in Theologica facultate, & quod illi in expensis provideatur. Et constituit, quod Judaei novas synagogas non faciant, & quod Christiani in domibus eorum non sinant, & nutritis Christiana Judaeorum infantes non nutrant. Ille gloriosus Papa Innocentius III. mortuo Heinrico imperatore, Ottonem Ducem de Brunswig junxit Romae, & consecravit imperatorem. Post parvum tempus excommunicavit eundem, suscitans sibi adversarium Fredericum filium Heinrici imperatoris, quem ipse Papa sublimavit ad sceptrum regni.

Otto filius Ducis Bavariae imperium adeptus, regnavit annis 9. Ille Otto imperator à Papa Innocentio excommunicatus fuit usque ad mortem: sed in articulo mortis à praelatis absolutus obiit, & sepultus est in Brunswig. Hic Papa Innocentius III. constituit, fieri sententiam interdicti in personas & in loco, sicut Alexander Papa. Item constituit, quod nullus novus sanctus in veneratione habeatur nisi auctoritate sedis Apostolicae, itaque canonizetur à Papa. Hic Papa Innocentius S. canonizavit S. Thomam Cantuariensem archiepiscopum, & sancti Henrici sponsam, S. Cunigundam virginem. Hic Papa Innocentius III. pontificatus sui anno XVIII. anno vero Domini MCCXIV. in Lateranense palatio plurimum solemne celebravit concilium, in festo omnium Sanctorum. In quo ipse Papa multas constitutiones edidit, & inter alias de passagio & cruce signandi in subsidium terrae sanctae maxime mentem posuit, & per ecclesiam universalem orationes ante Agnus Dei in missa pro terra sancta statuit, scil. psalmum *Deus venerunt gentes*, cum precibus & collecta *Dei qui admirabili providentia.*

Anno Domini MCCXV, obiit Hermannus Landgravius. Sequenti anno confirmatus est ordo predicatorum fratrum, scil. à papa Innocentio III. Igitur post concilium tantum uno anno supervixit, & cum aegrotaret ad mortem, in civitatem Parusii (d) quidam abbas, prout frater Cisterciensis, veniens cum suis ad curiam Romanam, qui cepit somnum meridie in prato ante Parusium, viditque visionem hunc habentem modum. Vidit, inquam, ille abbas ad orientalem plagam Dominum sedentem in excelsio throno, faciem habentem adversus occiduum, circumstante exercitu angelorum in prato: viditque ab occidentali parte ejusdem prati hominem toto corpore nudum, sed intula pontificali decoratum, currentem velocissime versus sedentem in throno, & alta voce clamantem *Miserere mihi misere misericordissime Deus:* & vidit, quod inferebatur

E e e z

(a) Promovendum. (b) In imperatorem. (c) Sedis Apostolica. (d) Parusii.

qvebatur eum currentem magnus draco ut devoraret ipsum : & veniens sedentem in throno alta voce draco acclamavit , *Iuste indica iustissime iudex*. Et cum hoc abbas vidisset & audisset , mox evigilavit : & viso disparuit , & illius disceptationis exitum nullatenus scire potuit. Cumque abbas ascendisset civitatem Parusium quæ in monte sita est , audivit quasi sonitum campanarum , & luctum plangentium , & vocem lamentantium dicentem , *Heu papa Innocentius defunctus est*.

Anno Domini MCCXVII, Innocentius papa III. in Parusio feliciter obiit , & ibidem sepultus est.

Fredericus Henrici imperatoris filius adeptus imperium , regnavit annis 30, à Cæsare Augusto imperator*.

Defuncto Innocentio papa III, Honorius CLXXXVII. ordinatur. Sedit an. XI. Hic papa Honorius III. vitam & regulam sancti Francisci confirmavit , & in Registro posuit. Hic Papa Fridericum Henrici imperatoris filium Romæ consecravat in imperatorem , anno Domini MCCXIX.

Ipso eodem anno sanctus Dominicus initiator ordinis prædicatorum feliciter migravit ad Christum , cum non plene eidem ordini annis 4. præfuisset. Quidam nomine Bertamus qui fuerat reclusus apud Tomacum , gessit se cum pompa aliquandiu pro comite *Waldewino* Flandriæ. Propter hoc à Rege Franciæ & à comitissa Flandriæ suspensus est in patibulo.

Anno Domini MCCXXV, Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus occiſus eſt à comite Frederico de Yſenburg , qui & ipſe in ultionem fuſi ſanguinis in Colonia provincialium ſententia cruriſragio miſere interiit. Sub hoc papa anno Domini MCCXXIII. fratres minores *Erſordia* manſionem receperunt. Hic papa Honorius III. conſtituit , ſicut & canon , ut corpus Domini ſemper in eccleſiis reſervetur propter infirmos & ſemper ſub camera. Et conſtituit , ut ſacroſanctum corpus Domini ad infirmos in habitu decenti portaretur , & cum revèrentia & lumine præcedente , ut Deus honorificetur , & populus ædificetur , & fides roboretur. Conſtituit etiam Honorius papa III , ſicut & Innocentius III , ut eccleſiæ metropoles doctores in Theologica ſciencia habeant , & ut aliquos idoneos ad ſtudium generale transmittant , ut poſtea copiam doctorum habeant qui alios inſormant. Et conſtituit , quod docentes in Theologica facultate , & ſimiliter ſtudentes in ea in ſcholis per 5. annos integre percipiant præbendarum ſuarum & beneficiorum de gratia ſedis apoſtolice , *extr. de Magiſtris ſuper ſpecula*. Hic papa ſortis ulum in electionibus perpetuo prohibet , ſcil. ne prælati per ſortes eligantur. Hic papa etiam iudicium candentis ferri ſtriſte prohibet , quia in eo Deus videtur tentari. Iſte papa Honorius III. ſanctitate & virtutibus plenus feliciter migravit ad Chriſtum , ſepultusque eſt ad ſanctam Mariam ad præſepe Romæ ſuper IV. pyramides in ruſa porphyretica. Illam ſepulturam huius papæ ſucceſſor Gregorius papa fieri fecit.

Anno Domini MCCXXIV, beatus ille ſervus Dei Franciſcus , contuens in aëre Seraphim cruce poſitum , extunc in palmis , & latere & pedibus effigiem plagarum Chriſti tulit uſque ad ſelicem exitum ſuum , multis tunc utriuſque ſexus videntibus in eo illa Chriſti ſtigmata.

Anno Domini MCCXXVI, pontificatus huius Honorii Papæ anno 10, tempore Frederici imperatoris , beatus ille Franciſcus apud Aſſiſium feliciter migravit ad Chriſtum anno ætatis ſuæ XLV.

Anno Domini MCCXXVII, defuncto Honorio Papa III, Gregorius Papa à beato Petro CLXXXVIII. ordinatur. Sedit ann. 16. Eodem anno fuit multa turba cruceſignatorum congregata apud Brand. (a) qui ut pariter cum Frederico imperatore in terræ ſanctæ ſubſidium tranſirent , ſed dolo Frederici imperatoris interveniente illud paſſagium impeditum fuit , & magna militia illa Chriſtianorum , qui amplius quam ad LX. millia æſtimabantur , diſſipata fuit. Et illuſtru Landgravius Thuringiæ Ludewicus , paratus corde & corpore cum omnibus ſuis armatis , tranſiit (b) mare in ſubſidium terræ ſanctæ ; ibi apud Ortratum , (ut fertur) veneno intoxicatus feliciter obiit , & reductus ſepultus eſt in Reinersbûrnen. Hic Papa Gregorius nonus vocabatur Hægelinus. Iſte Papa anno Domini MCCXXVIII. pontificatus anno 11, ſolemniffime canonizavit beatum Franciſcum in civitate Aſſiſiorum. Poſtea idem venerabilis Papa tres ſanctos ſucceſſive canonizavit , videlicet beatum Dominicum fratrum prædicatorum , & beatum Antonium ordinis fratrum minorum , & beatam Elizabeth de Marpur , relictam illuſtriſſimi Landgravi Thuringiæ.

Anno Domini MCCXXIX, Gregorius IX. excommunicavit Fredericum imperatorem , obijciens multos , & enormes , & graves articulos. Hic Papa conſtituit fieri ſententiam interdicti. Conſtituit etiam , quod *ſilius ſacerdotis non poteſt ducere puellam , quam pater ſuus baptizavit*. Et conſtituit . quod laici cujuſcunque religionis ſint , non debeant prædicare. Hic Papa cum eſſet cardinalis & Oſtienſis epiſcopus , conſtitutus fuerat protector ordinis fratrum minorum.

Anno Domini MCCXXXI, Sanctus Antonius in Padua ordinis fratrum minorum , & ſancta Elizabeth in Marpur , migraverunt ad Chriſtum.

Anno

(a) Brandisium. (b) Transire.

Anno Domini MCCXXXIII, Magister Conradus de Marpurg, verbi Dei prædicator, occisus est.

Anno Domini MCCXXXVI, sancta Elizabeth in Marpurg translata est cal. Maji. Iste Gregorius Papa IX. duos ordines confirmavit, quos sanctus Franciscus ord. naverat, unum pauperum dominarum sanctimonialium, alterum pœnitentium qui sexum capit utrumque, scil. clericos, conjuges, virgines & continentes. Idem Papa etiam confirmavit ordinem monialium pœnitentium, scil. sanctæ Mariæ Magdalænæ.

Anno Domini MCCXXXVII, frater Jordanus Magister prædicatorum fratrum missus (c) est in mari mediterraneo, & sepultus est in terra sancta. Iste Gregorius Papa nonus fecit de extravagantibus compilationem nobilem, quam divisit in V. libros: unde versus:

Pars prior officia creat ecclesiæque ministros:

Altera dat testes, & reliqua judiciorum:

Tertia de rebus & vita presbyterorum

Dat normam: rite nubere quarta docet:

Ultima de vitiis & pœnis tractat eorum.

Anno Domini MCCLII, peregrina mania gens barbarorum ferocissima: idolorum cultibus dedita, sive Tartari in Ungaria & Polonia Christianorum plura millia occiderunt. Contra illos Gregorius papa fecit crucem prædici, similiter contra Stetingos, de quibus V. millia & XXV, homines à cruce signatis occisi sunt. Idem Papa constituit festa celebrari, sc. Domini nostri, & beatæ virginis, & diem dominicum, & apostolorum, & martyrum & sanctorum de illa diocesi ubi quilibet manet: nisiurgens necessitas instet tempore messis vel vindemiæ, vel ecclesiæ aut pauperibus aliquibus subserviant. Et constituit, ut si concubinis suis excommunicatis à audice communicant, ipso facto sunt clerici majori excommunicatione ligati. Constituit etiam, ut tempore interdicti presbyteri semel in hebdomada corpus Domini conficiant submissa voce, clausis januis, quod pœnitentibus in morte detur. Hic Papa Gregorius IX. feliciter obiit Romæ, sepultus est in Vaticano juxta corpus beati Gregorii papæ ante secretarium beati Petri.

Anno Domini MCCXLIV, Celestinus papa CLXXXIX, ordinatur. Sedit diebus 16. Hic vocatur Irmfridus, qui cum cardinalis Episcopus esset, negotia pauperum clericorum frequenter & diligenter intuitu misericordiæ promovit apud papam Gregorium. Hinc idem papa Gregorius prophetice prædixerat, quod futurus esset & ipse papa, sicut beatus Franciscus præfatus Gregorio, cum esset Ostiensis Episcopus cardinalis. Hoc Celestino papa feliciter defuncto, cessavit Episcopatus fere duob. annis: Et cum non essent tunc nisi IX. cardinales, in electione papæ concordare non poterant, & hoc utique in periculum totius ecclesiæ.

Anno Domini MCCXLV, Innocentius papa ordinatur. Sedit annis 12. Hic vocabatur Simebaldus presbyter cardinalis. Hic Papa duos sanctos canonizavit, videlicet fratrem Ieronymum ordinis prædicatorum, occisum ab hæreticis apud Mediolanum, & Lateslaum Cracoviensem Episcopum. Iste papa constituit, ut quicumque prælatus fert sententiam excommunicationis, juris ordine non servato, ab ingressu ecclesiæ, & ad minus per unum mensem ipso facto sit suspensus: alioquin irregularitatem incurrerit, de quo solus papa dispensare potest, & non alius extr. de sententia excommunicationis, Cum medicinalis. Et constituit, ut quicumque judex ordinarius, vel etiam delegatus, contra justitiam vel etiam contra conscientiam suam in gravamen alterius partis injuste judicaverit: per unum annum ab executione officii sui sit suspensus: & si se divinis ingesserit, irregularitatem incurrat, de qua solus papa dispensare potest, & non alius. extr. de sententia, & re judi. Cum item tribunal. Hic papa etiam constituit, ut quicumque aliquem occidi fecerit, vel mandaverit, ipso facto sit excommunicatus, & ab omni dignitate, ordine, officio & beneficio sit depositus, extr. de homicidio pro humani. Iste papa Innocentius IV. in civitate Galliarum Lugduno mansit per annos VII.

Anno Domini MCCXLV. hic concilio Lugdunensi constituit, ut Octava beatæ Virginis Mariæ ab omnibus clericis & religiosis annuatim solemniter celebretur. Tempore hujus Papæ Ludewicus rex Franciæ cum Christiano exercitu contra consilium papæ transfretavit, & fugientibus barbaris à facie ejus cepit, & possessione pacifica habuit Damiatam. Postea in brevi belli idem rex Franciæ à Soldano in Babylone, id est à Pharaone rege Ægypti, captus est, & suus Christianus exercitus dissipatus, & occisus est totus. Rex autem Ludewicus pro redemptione sua dedit Soldano millia marcarum argenti & civitatem Damiatam. Verum tamen arma, tentoria, vasa pretiosa, eqvos electos, alimenta Christianorum Saraceni in illo prælio obtinuerunt.

Anno Domini MCCXLIX, cum rex Ludewicus esset ultra mare, ubi (sicut dictum est) captus, & ad plurima damna perductus est: venerunt in regnum Franciæ plura millia pastorum,

E e e ;

dicen-

dicentes se velle venire in adiutorium Ludewico Franciæ regi ultra mare. Hi unum capitaneum magistrum habuerunt nomine Jacob, peritum in pluribus lingvis. Hic fuit apostata Cisterciensis & sceleratissimus. Hic in Francia manus violentas iniecit violenter in clericos per diversa loca. Istum Jacobum facinorosum sequebantur meretrices, latrones, magi & malefici. Qui Jacobus apud Bituris civitatem occisus est à Christianis sententialiter, & omnes quotquot insequebantur eum, occisi & dissipati sunt. Iste Innocentius quartus inter omnes apostolicos à sancto Petro primo papa ditior fuit; (ut fertur) & opulentior in pecunia & thesauris. Hic papa in concilio Lugdunensi sententialiter Fredericum imperatorem propter crimina sua ab omni honore destituit & eum imperiali ac regali dignitate & nomine privavit, anno Domini MCCXLV, & principibus Teutoniæ ad quos spectat electio imperatoris, dedit papa eligendi potestatem libere successorem. Iste Fridericus imperator, sicut præfatus papa indecreto Lugdunensi scribit, multotiens pacem inter ecclesiam & imperium reformatam temere violavit. Perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens duos cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, Ottonem Portuensem, & Jacobum Prænestinum Episcopos, ac aliarum ecclesiarum prælatos, clericos, religiosos & seculares venientes ad concilium, quod Papa Gregorius IX. duxerat convocandum, quod ipse imperator petierat convocari. Hos prælatos cum clericis in Sicilia fecit diris carceribus mancipari, quibusdam in mari submersis. Ecclesias IX. Archiepiscopales, & multas Episcopales, abbatias quoque & alias ecclesias prælatorum regimine destituit in regno, in grave ipsarum præjudicium, & periculum animarum ecclesiarum non solum facultates, etiam bona prout voluit occupari, sed etiam crucem & calices, thuribula & alios sacros thesauros & pannos sericinos velut cultus divini contemptor auferri iussit. Clericos quippe collectos multipliciter affligi procuravit, & non solum trahebantur ad iudicium seculare, sed cogebantur subire duella: incarcerationibus, occidebantur, & in patibulis cruciabantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis. Hæresi quoque suspectus habebatur. Nam postquam Papa Gregorius non ipsum anathematis vinculo innodavit, & post captionem cardinalium, prælatorum & clericorum ad sedem apostolicam venientium: divites ecclesiæ contempsit, sibi faciens celebrari, vel saltem quantum in eo est prophanari divina. Scripsit & asseruit se Gregorii papæ sententias non vereri, & coegit alias sententias papales non observare. Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios & munera eorum cum hilaritate & honorificentia recepit, & munera eis pluries destinavit. Ritus eorum amplectens illos in quotidianis obsequiis secum tenuit. Existens ipse in partibus transmarinis, facta compositione quadam, (collusione verius) cum Saldano Machometi nomen in templo Domini diebus & noctibus proclamari promisit. *Bacario* regi schismatico, inimico Dei, & ecclesiæ, & solenniter excommunicato, filiam tradidit in uxorem. Ducem Baviaræ fecit per Alismos (a) occidi. Nec ecclesias, nec monasteria, nec hospitalia, seu alia pia loca construxit: sed destructioni ecclesiarum institit: religiosas & alias ecclesiasticas personas jugiter attrivit: manum (sicut decet principem) ad eleemosynas non extendit, neglector suæ salutis pietatis operibus non intendit. Possessiones Romanæ ecclesiæ, videlicet marchiam Anconetanam, ducatum Spoletanum, nobilem civitatem in Apulia, sc. Beneventum, cujus Archiepiscopus habet sub se duodecim suffraganeos Episcopos, diruit & occupavit, præter alias civitates Thulciæ. *Hoc scribit Innocentius papa in decreto concilii Lugdunensis.* Iste Imperator Fredericus obtinuit homines per Alismos mortiferos, perfidos & maleficos à quodam rege barbarorum (ut fertur) qui appellatur vetulus de montanis, quos misit quo voluit ad occidendum. Hic iniquitatem in excelsis loquutus est, ponens in cælum os suum dixit, audiente Henrico Landgravio, *Tres (inquit) seduxerunt omnem mundum, videlicet Moyses Hebraos, Christus Christianos, Machometus barbaros. Quamobrem si principes imperii institutioni meæ assentirent, ego utique meliorem modum credendi & vivendi cunctis nationibus ordinare vellem.*

Henricus Landgravius, electus in regem anno Domini MCCXLVII. in odium Frederici Conradum ejusdem Frederici filium regem in conflictu apud Franckevort cum suo exercitu in die sancti Dominici vicit & confudit. Ipso eodem anno præfatus Henricus rex & Landgravius immatura morte obiit in profluvio ventris, & sepultus est in Isenach. Hic quia sine hærede defunctus est, quamvis feliciter tamen plurima bella. * Et dira gverrarum turbatio in *Turingia* exorta est, & in finibus ejus pro habendis possessionibus ejusdem.

Anno Domini MCCLII. Fredericus ille quondam imperator, sed anathematizatus & imperiali honore privatus, veneno interiit & misere mortuus, in die Lucæ virginis & martyrum sepultus est apud Fogiam. Rex Conradus filius suus post breve tempus etiam misere mortuus, sepultus est apud patrem.

Anno Domini MCCXLVIII, *Gvilielmus comes Hollandia in regem electus*, regnavit ann. 3. & occisus est à Frisonibus. Iste Papa Innocentius IV. obiit, & sepultus est in Neapoli.

Anno Domini MCCLVI. Alexander Papa XCI. ordinatur. Hic erat cardinalis Ostiensis episcopus, & vocabatur Reinoldus, protector ordinis fratrum minorum.

Anno

(a) *Assasines*.

Anno Domini MCCLVI. Alexander Papa canonizavit *sanctam Claram* virginem. Iste Papa *Exelinus* deterius tortorem Christianorum, interfectorem LX. fratrum minorum & aliorum fidelium plurimorum, persecutorem fidei catholicæ, pro hæretico: & omnes fautores suos sententialiter condemnavit & excommunicavit, & à sancta Dei ecclesia tanquam membra putrida & morbida præscidit, & litera apostolica quæ sic incipit, *Scandalum fidei, malum Italia, & macula populi iste Exelinus hæreticus, publicus hostis*, & cum contra ipsum prædicaretur plena indulgentia omnium peccatorum, quæ transeuntibus mare in terræ sanctæ subsidium est concessa, seipsum fame & inedia, traditus in reprobum sensum, nequaquam volens cibum accipere, interfecit. Hæc acta sunt anno Domini MCCLVI. Hostes sævissimi, oppressores crudelissimi omnium nationum, *Tartari* potentissime expugnaverunt partes Orientales, videlicet regnum Indiæ, & regnum Armeniæ, regnum Ninivæ, regnum de Baldach potentissimum, interfecto eorum Papa *Califa*: regnum Hierosolymitanum, Antiochiam, & partes Christianorum ultra mare, & fugatis tam Christianis quam Saracenis, Hierusalem & Arabiam possederunt. Porro Soldanus Babylonie qui est Pharaon rex Egypti, resumptis utriusque viribus cum exercitu barbarorum clam irruit in castra Tartarorum, & multa ex eis milia interfecit. Soldanus Babylonie ideo dicitur, quia in tertia mansione in exitu Israel de Ægypto, scilicet Ethan rex Pharaon construxit civitatem munitam, quam appellavit novam Babyloniam.

Quidam Magistri Parisienses duplici corde composuerunt libellum infanem contra venerabiles fratres *minores & predicatores*, quivale habuit initium, *Ecce videntes clamabunt foris*. Hunc librum ipsi Magistris præsentibus Anagine Alexander papa IV. condemnans sententialiter combussit in audientia, destituitque eosdem magistros, ab officiis & beneficiis perpetuo. Fratres autem utriusque ordinis restituit famæ suæ scribens prælatis & universis, fratres præfatos esse in statu perfectionis, & de numero salvandorum. Hæc acta sunt anno Domini MCCLVII.

Anno Domini MCCLXI, plura millia *flagellatorum* prodierunt in mundum. Jubente papa Alexandro celebrata sunt concilia in Moguntia à Domino Wernhero archiepiscopo, & aliis episcopis contra Tartaros & alia pericula, ut per verbum crucis, & manum armatam, & per orationes fidelium, resistatur inimicis ecclesiæ in nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

Anno Domini MCCLXI, Rex Tartarorum misit solemnes nuncios, circiter XXIV. nobiles Tartaros cum duobus fratribus ordinis prædicatorum, qui essent interpretes linguarum ad regem Franciæ Ludewicum, ut & se & totum regnum Franciæ ditioni subiceret Tartarorum, alioquin regnum Franciæ impugnet tempore procedente. Quod Rex Ludewicus habito consilio cum prioribus regni sui constanter renuit, ipsos tamen unicos honorifice Parisiis tenuit, & usque ad papam Alexandrum pacifice remisit.

Eodem anno Alexander papa in die sancti Urbani papæ defunctus est in Bicernio & ibidem sepultus est, & cessavit Episcopatus usque ad decollationem sancti Joannis Baptistæ, discordantibus cardinalibus in electione. Tunc elegerunt patriarcham Hierosolymitanum Jacobum in papam, & vocatus est Urbanus IV.

Frater *Theodericus ordinis prædicatorum* ictu tonitru i illico defunctus est.

Anno Domini MCCLXII, venit quidam cum exercitu magno, dicens se esse *Fredericum imperatorem*, qui ante decem annos mortuus fuerat. Hic impugnavit Menfridum principem Apuliæ, & cum strenue persequeretur, asserens se habere velle regnum Apuliæ & Siciliæ.

Anno Domini MCC.LXII, in vigilia beati Ægidii abbatis, fuit eclipsis Lunæ à media nocte usque ad diluculum, & in sanguineo colore diu laboravit.

Urbanus papa IV, congregata multitudo tam cleri quam populi, cum cardinalibus & pontificibus 14. Calend. Decemb. incepit prædicare solemniter crucem in succursum terræ sanctæ, & fratribus minoribus & prædicatoribus per literas apostolicas datas victoribus stricte dedit in mandatis eandem crucem constanter & diligenter prædicare per Dei ecclesiam, cum larga indulgentia in subsidium terræ sanctæ.

Illucescente vigilia sancti Joannis Baptistæ orta tempestate cum inundatione pluviarum in Apulia & vicinis vallibus, ac in genere nocturno tempore homines promiscui sexus XXXV. submersi sunt; domicilia deducta sunt, & pecora plurima perierunt.

Item nonas Augusti post horam nonam fuit eclipsis Solis generalis, ut videtur in ista Teutoniz regione.

In vigilia apostolorum Simonis & Judæ, & ad tria millia circiter prope *Hallis, Adalbertus Landgrævus Thuringiæ*, & Germanus suus *Theodericus marchio de Landesberg*, filii senioris, marchionis Misnensis Henrici *Saxones* devastantes in multitudine gravi, & manu valida terras eorum, & diocæsin *Nawenbergensem*, & diocæsin *Merseburgensem* facientes incendia, & asportantes spolia multa prælio invaserunt, in quo conflictu crudeli & hostili odio ferocissime, à mane post ortum Solis usque post nonam dimicatum est. In hoc bello *Albertus dux de Brunswig*, strenuus in armis & vir bellator, vulneratus captus est, & *Henricus comes princeps de Anhalt* vulneratus captus est. Insuper & comites de *Swerin* & *Eberstein* capti sunt, præterea & vasalli, & nobiles, & iudices advocati circiter XII. capti sunt. Similiter electa militia in eodem bello, ut ad quingentos quinquaginta

ginta & 16. viros in armis plenis, Deo permittente cum maximo damno suo, scilicet electorum eqvorum & armorum captivi ducti in vinculis sunt detenti.

Anno Domini MCCLXIV, orta discordia inter regem Angliæ & universitatem ejusdem regni cengressi sunt cum multitudine pugnatorum, in quo conflictu duo reges, *Rex Angliæ & Rex frater suus*, & duo filii ipsorum à populo captivi ducti sunt cum aliis multis nobilibus & ibidem plura millia occisorum nova & inaudita hactenus in pecunia, & in aliis Rex violenter exegit contra morem à populo. Unde cives & rures huic violentæ exequutioni viriliter & pariter resistierunt. Item inter papam Urbanum quartum, & *Menfridum* principem Apuliæ, Frederici imperatoris, & quasi per stipendiarios continua conteri concertatio habita est, & habetur pro regno Apuliæ. Sed dominus papa Urbanus, sicut multitudini clare apparet, se defendere non sufficit, cum tamen singulis septimanis suis stipendiariis circiter mille marcas distribuere debeat. Hoc anno in Pentecoste Parisiis fratres *predicatores* celebrantes capitulum generale, elegerunt in magistrum ordinis fratrem Joannem Longabardiæ provincialem, qui septimus jam magister ordinis ipsorum factus est.

Stella quæ dicitur Cometes apparuit, videlicet in Oriente ante ortum diei post stellam matutinam: apparuit scilicet ante auroram cum radiis multis: ipsi ejus radii longe lateque apparuerunt, antequam oriretur ipsa stella cometes. Igitur veloci cursu laboravit ipsa stella *Cometes*, ita quod præcurreret, & longe versus meridiem præcessit stellam matutinam, id est, Luciferum. Visa est circa festum sanctæ Mariæ Magdalene primo, & usque ad octavam sancti Augustini apparuit. De hac Isidorus etymologiarum libro tertio scribens, dicit: Cometes stella est dicta, eo quod comas luminis ex se fundat. Quod genus sideris, quando apparuerit, aut pestilentiam, aut famem, aut bella signat. Cometes autem Græce, Latine Crinitæ appellantur, quia in modum crinum flammæ spargunt, quas Stoici dicunt esse ultra XXX. quorum nomina & effectus quidam astrologi scripserunt.

Dux Albertus de Brunswig redemit se, defunctus est. Pluviæ & repentinæ inundationes aquarum circa festum beati Nicolai episcopi multas villas in Saxonia miserabiliter submerserunt.

Anno Domini MCCLXV. Clemens papa IV. à beato Petro CXCV. ordinatur, qui ante vocabatur Vuido, & archiepiscopus fuerat Narbonensis, & factus est cardinalis.

Ingravatum est bellum inter papam Clementem & Menfridum principem Apuliæ pro patrimonio sancti Petri, quod præfatus Menfridus tenet violenter. Isto anno multæ *naves* magnæ & onustæ tam *trieris* quam *cogones* in mari mediterraneo, ac in Dacia perierunt. Soldanus Babylonie, impugnans Christianos in terra sancta cepit *Azotum* castrum firmissimum domus hospitalis, quod alio nomine vocatur Assur, in quo habitabant duo millia hominum quos omnes occidit. Sed fratres milites domus hospitalis & domus templi CLXXX. captivos ac strictè vinculatos duxit in Ægyptum. Cepit etiam castrum & civitatem Cæsaream; nec non & civitatem quæ vocatur Calphas, idem Sarracenus & Soldanus violenter cepit & tenet. *Albertus Landgravinus Thuringie*, & *Marchio Otto de Brandenburg* cum filio suo, *Albertus etiam Dux de Brunswig*, & multalii in *Prussia* peregrinantes contra paganos cum signo crucis profecti sunt.

Anno Domini MCCLXX, incepit esse fames valida in festo sancti Jacobi Apostoli.

Anno Domini MCCXXIII, creatus est in regem Romanorum comes de *Habeschberg* in festo sancti Michaelis archangeli.

Anno Domini MCCLXXIV. concilium generale fuit in Leuno celebratum in festo sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi sub Gregorio decimo Papa. Post hunc papam fuit Innocentius V, post quem Adrianus sequens: post illum Joannes fuit: Nicolaus III. hic successit: Martinus vero post illum fuit. Huic successit Honorius IV, sed huic anno Domini MCCLXXVIII. Nicolaus IV. successit.

Anno Domini MCCLXXIX. Rex Bohemorum dictus Otacker victus fuit à Rudolpho rege Romanorum in prælio, III. die post festum Bartholomæi apostoli. In eodem conflictu occisus est rex Bohemus.

Anno Domini MCCXCI, obiit Rex Rudolphus in divisione Apostolorum, & in eodem anno in idibus Septembris per diversa loca terræ motus factus.

Anno Domini MCCXCI, capta est civitas Accon à Sarracenis in die Potentianæ virginis.

Anno Domini MCCXCII, electus est in Regem Romanorum comes Adolfus de Nassowe in inventione sanctæ crucis.

Anno Domini MCCXCIII, in die Processi & Martiniani, Rex Adolfus Romæ (a) in prælio occisus est, non longe à Moguntia ab Alberto duce Austriæ filio quondam Romanorum regis Rudolphi de Habesborch ipsum Episcopum Moguntinum cum aliis baronibus & nobilibus adjuvante. Idem

(a) Adolfus Rex Romanorum.

te. Idem Gerhardus Moguntinensis Episcopus, dictus de Eppenstein, cum aliis electoribus quibusdam regni Romani dictum ducem ante prælum & mortem Regis Adolphi in Romanum regem in Moguntia elegerunt, & licet non æque eundem post prælum in Aquisgrani coronaverunt, & regem confirmaverunt, cum tamen idem dux ministerialis fuerit Regis Adolphi. Et hæc conspiratione pessima sunt acta.

Anno Domini MCCXCIV, Papa Bonifacius, nomine antea Benedictus, papam Joannem virum sanctum concorditer electum ab officio populi subtiliter amovit, & idem papa permansit, tenensque papam Joannem in bona custodia usque ad ejus mortem. Ab aliqibus in dubium vertitur, quod non potuerit papa Joannes papale officium resignare.

Anno Domini MCCC, dum civitas *Accon* & tota terra sancta in potestate gentilium steterit VIII. annis, Rex *Tartarorum* nomine Gazan potenter cum suis, Rege Armeniæ ipsum adiuvante, terram sanctam usque Damascum hostiliter acquisierunt, in duobus conflictibus LXX. millia hominum gentilium ad arma valentium occiderunt, præter reliquum populum cujus numerus non poterat determinari. Idem Rex Tartarorum à Nativitate Domini usque ad Majum permanens in Damasco, potenter mittens suos solemnes nuncios summo pontifici Bonifacio, petens & desiderans, ut omnes Christiani advenirent, terram sanctam accipiendo & possidendo, quam ipsis animo libenti vellet dare; & vocavit principaliter III. ordines, templarios, hospitalarios, & fratres Alemannos in ipsis suis literis, domino apostolico ad Romanam curiam destinatis.

Anno Domini MCCXCVIII, in vigilia Nativitatis Domini nostræ Veneti, & cum novaginta armatis *galeidis*, & Jannenses cum totidem *galeidis* armatis in mari convenerunt: à Venetiis vix quingvagina milliaria Latina, & in immensum conflictum pariter habuerunt. Sed tamen Jannenses prævaluerunt, & Veneti occubuerunt, & quasi omnes eorum *galeidas* combusserunt & submerserunt, populum vero captivum deduxerunt, & innumerabiles ex eis occiderunt. Et ipso anno prænotato, cum avidissimi essent inimici & diu fuissent; perpetua pace sunt reconciliati.

Anno Domini MCCCIII, Joannes papa ordinatur.

Anno Domini MCCCIX, primi *crucifigeri* ibant.

Anno Domini MCCCXI, ordo *contemplariorum* destruitur.

Anno Domini MCCCIII. Henricus imperator ab uno *fratre predicatorum* veneno interiit.

Anno Domini MCCCXVIII, Albertus dux junior obiit.

Anno Domini MCCCXXXIV, Benedictus papa ordinatur.

Anno Domini MCCCXXXVIII, in nocte Philippi & Jacobi Apostolorum, cecidit nix ad *spissitudinem* unius pedis.

Anno Domini MCCCXLII, in die Mariæ Magdalene fuit inundatio magna.

Anno Domini MCCCXLIII, Clemens papa ordinatur.

Anno Domini MCCCXLIV, Otto dux de Brunswig obiit.

Anno Domini MCCCXLVI, fama de *marbione* ficto.

Anno Domini MCCCXVII, Carolus quartus Rex Bohemiæ in Regem Romanorum *eligitur*.

Anno Domini MCCCXLIX, *crucifigeri* circumibant.

Anno Domini MCCC, pestilentia magna viguit.

Anno Domini MCCCIV, Innocentius VI. papa ordinatur.

Anno Domini MCCCVI, festum ecclesiæ *Riddageshusen* transponebatur ad dominicam post festum Martini.

Anno Domini MCCCVII, Carolus quartus impetatur.

Anno Domini MCCCXIII, inundatio secunda fuit in die Margarete virginis, & pestilentia major.

Anno Domini MCCCXII, Urbanus papa quintus ordinatur.

Anno Domini MCCCXXII, prælum prope Hildensheim committitur circa villam quæ dicitur Gheimessem. Vero Dux Magnus senior de Brunswig, & Episcopus Halberstatensis sunt capti cum multis nobilibus, milicibus & armigeris. Eodem anno factum est prælum magnum in Frisia, ubi XL. interfecti sunt à Frisonibus.

Anno Domini MCCCXXVIII, castrum Walmeden devastatur.

Anno Domini MCCCXXIX, Magnus dux senior de Brunswig, & Wilhelmus dux de Lüneborch obierunt.

Anno Domini MCCCXXX, Alvelde civitas capta est à duce Ottone.

Anno Domini MCCCXXI, Gregorius papa ordinatur. Eodem anno Lüneburg civitas avertitur.

Anno Domini MCCCXXIII, Magnus Dux in Brunswig & Lüneborch junior occiditur ante castrum Richling.

Anno Domini MCCCCLXXIII, feria secunda post misericordias domini Dominicam, *præcones* & consules civitatis Brunswig sunt communiter captivati à communi populo: & de præconibus & consulibus sex sunt in foro decollati, & duo occisi.

Anno Domini MCCCCLXXVIII, Urbanus papa sextus eligitur, & antipapa Clemens VII. qui & Robertus vocatur.

Anno Domini MCCCCLXXIX, castrum Dalem capitur à Brunswichensibus, in vigilia Bartholomæi Apostoli. Eodem anno Herdegesehen capitur à duce Ottone.

Anno Domini MCCCCLXXX, castrum Banseve capitur à Brunswichensibus, & Joannem de Wewerling super castrum cremaverunt.

Eodem anno capitur Glenetorpa & cremaverunt.

Anno Domini MCCCCLXXXI, feria quarta in quatuor temporum ante festum Michaelis, Fridericus Dux de Brunswig præsentavit consulibus & civibus castrum *Walfeshuetel* in bona amicitia & fide.

Anno Domini MCCCCLXXXII, Episcopus Magdeburgensis fuit in Calve præcipitatus in chorea.

Anno Domini MCCCCLXXXII, hoc est eodem anno, fuit inundatio tertia in Brunswig. Eodem anno circumvallaverunt castrum Gyshorn, (a) Dux Albertus de Luneborg, Wenzlaus dux Saxonie, consules de Brunswig, de Luneborg, de *Honnover*, de *Ullze* cum civibus eorum; & postea præsentatum est consulibus de Brunswig. Eodem anno, sequentidie Bartholomæi venerunt militares domini à *Destenberghe* cum suis complicibus & exercitibus ante Brunswig, & perpertraverunt spoliū sine aliqua causa, & percusserunt de civibus in ore gladii XX, & XL captivos secum duxerunt.

Anni Domini MCCCCLXXXV, dux Albertus de Luneborg jactatus est per machinam ante Castrum *Richling*, & obiit.

Anno Domini MCCCCLXXXVI, tres duces Brunswichenses pariterque fratres, videlicet Fridericus, Bernardus & Henricus duxerunt uxores in quatuor septimanis. Eodem anno in die Mariæ Magdalene fuit suspensus comes Tydericus de *Weringherode* ab Episcopo de Magdeburg, nec non à comite de Regenstein, qui in simul ibi fuerunt congregati in bona amicitia & fide.

Anno Domini MCCCCLXXXVIII, Wenteszlaus dictus dux Saxonie veneno interit circiter festum Paschæ. Eodem anno in die corporis Christi in ortu Solis factum est prælium magnum prope Wynsen uppe der Alleren, inter Brunswicenses & Luneburgenses. Ibi Deo adjuvante & beato Auctore, Brunswichenses victoriam obtinuerunt, & Luneburgenses cum suis perdidērunt, & filii Magni ducis terram Luneburgensem tenuerunt: in quo prælio plus quam C. sunt interfecti & submersi, & CCL. captivati de principibus, nobilibus, militibus & armigeris. Eodem anno castrum *Jerktem* à duce Frederico & Brunswicensibus capitur, & eis subijcitur.

Anno Domini MCCCCLXXXIX, ipso die Panthaleonis ac Cyriaci martyrum in astate tantæ fuerunt aeris tempestates, quod multæ de arboribus fuerunt per medium deruncatæ, & multæ radicitus evulsæ. Eodem anno Urbanus ut in profesto Galli obiit, & bonilacius novus sedem fuerat adeptus.

Anno Domini MCCCXC. annus Jubilæus per Urbanum sextum institutus & per Bonilacium novum approbatus celebrabatur. Eodem anno Albertus Episcopus Halberstadenfis obiit, & electus est unus de Honstein ibidem.

Anno Domini MCCCXCI, pestilentia quarta viguit.

Anno Domini MCCCXCII, in die sancti Augustini Episcopi, hora vesperorum ceciderunt grandines in quantitate ovorum pullorum.

Anno Domini MCCCXCIII, in die Calixti papæ & martyris factum est prælium in diocesi Hildesheimensi, circa horam vesperorum apud villam Venen inter Fredericum ducem de Brunswig cum suis & inter militares, videlicet Joannem de *Schwichelde*, nec non Conradum de *Destenbergk* cum eorum exercitibus. Ibi Deo donante Fridericus dux victoriam cum suis obtinuit in quo prælio sunt captivati capitanei præfati cum militibus & armigeris numero LXXXVIII, & de civibus & villicis numero XCV, & ibidem sunt interfecti, trucidati, & à lupis devorati numero quasi CL. Tota summa horum captivorum & interfectorum est circiter CCCXXIII.

Anno Domini MCCCXCIV, in die sancti Nicolai Episcopi obiit dux Otto dictus de Brunswig princeps in *Götting*.

Anno Domini MCCCXCI, annus Jubilæus celebrabatur in Magdeborch à festo *Ægidii* facti per annum.

Eodem anno indulgentiæ datæ sunt hic in urbe ad sanctum Blasium durantes per octavam Ascensionis Domini imperpetuum.

Anno Domini MCCCXCXI, in octava sancti Martini fuit validus ventus huic claustru nocuus. Eodem anno bellum commissum est circa Rhenum in campo Camerenfi prope civitatem

(a) *Gifhorn*.

tatem Cluns, inter illustres principes, Wilhelmum ducem de monte, & Theodoricum comitem de marchia.

Anno Domini MCCCXCVII, Joannes Episcopus Hildesheimensis eligitur.

Anno Domini MCCCXCIX, Wenceslaus Rex Bohemiæ pravitate sua regnum cœdavit Romanorum.

Anno Domini MCCCC, *Fridericus dux Brunswigensis* interfectus est in Hassia à comite de Woldogghe in die Bonifacii.

Eodem anno Robertus dux Baviaræ in regem Romanorum eligitur.

Eodem anno crucifigari sive flagellatores ibant tertio in Brabantia & Hollantia.

Anno Domini MCCCCI, Cometes apparuit.

Anno Domini MCCCCII, pestilentia magna viguit.

Anno Domini MCCCCIII, Innocentius septimus papa eligitur.

Anno Domini MCCCCIV, regnum Franciæ filio regis tandem expulso à duce Burgundiæ & Angelis lamentabiliter dirumpitur.

Anno Domini MCCCCV, Gregorius undecimus papa eligitur.

Anno Domini MCCCCVI, eclipsis Solis fuit in crastina vice hora septima de mane.

Eodem anno Domini *Ducissa Ducis Heinrici* in vigilia Petri & Pauli.

Eodem anno obiit Otto episcopus Bremensis ducum frater.

Anno Domini MCCCCVIII, Alexander quintus Papa eligitur.

Anno Domini MCCCCIX, prælio factò prope Mastricht interfecti sunt de civibus *Leodinen* 32. millia.

Anno Domini MCCCCX, in *Prussia* factò prælio interfecti sunt CCC. à Rege *Pollonii*. Eodem anno Joannes papa eligitur.

Anno Domini MCCCCXI, Sigismundus Rex Ungariæ, filius Caroli quarti, in regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCCXII, in nocte sanctæ Cecilie erat validus ventus, & duravit ad quatuordecim dies.

Anno Domini MCCCCXIII, ipso die beati Benedicti, in Quadragesima, castrum Hartesburg capitur ab Episcopo Magdeburgensi, Episcopo Halberstadeni, & duce Bernardo de Brunswig.

Anno Domini MCCCCXIV, hæretici multi in Thoringia sacramenta ecclesiæ blasphemantes, & combusti sunt in *Sangerhusen*. Eodem anno, concilium magnum prælatorum ecclesiæ pro unione faciendâ apud Constantiam celebratur.

Anno Domini MCCCCXV, Joanne Papa deposito, & Gregorio papa tum resignante, siquæ apostolica sede vacante, sancta synodus Constantiensis plenariam ecclesiæ potestatem accepit & papalem.

Anno Domini MCCCCXVI, *Henricus* nobilis princeps, & dux in Brunswich & Luneborch, obiit.

Anno Domini MCCCCXVII, schismate sedato Martinus Papa eligitur, in synodo Constantensi.

Anno Domini MCCCCXVIII, regnum Bohemiæ hæretica pravitate totaliter in sectum à fide recessit.

Anno Domini MCCCCXIX, concordia facta inter clerum & cives *Brunswicensis*, quæ discordia stetit ad septem annos.

Anno Domini MCCCCXX, castrum Borgalle capitur.

Anno Domini MCCCCXXI, prælio factò prope *Grona* à ducibus Ottone & Wilhelmo triumphantibus sedata est guerra inter Brunswicensis & Hildesheimensis. Eodem anno castrum *Wernborg* construitur.

Anno Domini MCCCCXXIII, seditione concitata, quatuor de consulibus in *Halberstade* decollati sunt.

Anno Domini MCCCCXXV, *Halberstat* à proprio episcopo & decem & octo civitatibus obfessa. Quatuor de principalioribus seditiosis capti decollabantur in vindictam. Eodem anno, castrum *Ampleve* desolatur à *Brunswicensibus* & *Magdeburgensibus*.

Anno Domini MCCCCXXVIII, feria secunda post Oculi Dux *Wilhelmus* divisit ducatum Luneborgensem & Brunswicensem, & Dux *Bernardus* elegit Luneborgensem cum suis castris, & dictus *Wilhelmus* retinuit Brunswicensem.

Anno Domini MCCCCXXIX, in profesto beati Petri ad vincula capitur *Pattensen* à Duce *Wilhelmo Brunswicensi*. Eodem anno, ipso die Wilbrordi, consules cum clero unanimiter conceperunt den *Kettergraven* in antiquo vico.

Anno Domini MCCCCXXXI, *Gabriel de Venetia* cardinalis in papam eligitur, & ei nomen *Eugenii quartum* imponitur.

Anno Domini MCCCCXXXII, sancta synodus apud Basileam pro universalis ecclesie reformatione celebratur. Eodem anno, castrum *Wulfelbute* dux Heinricus acceptavit. Eodem anno, facta est gwera inter ducem Wilhelmum & civitatem *Brunswich*, & multae sunt ibidem villae devastatae. Eodem anno, ipso die Timothei, incendebant Descidde. Eodem anno, Gorgonil combusserunt Melverode, Stockem, Dabern, & quamplures villas.

Anno Domini MCCCCXXXIII, Sigismundus filius Caroli quarti imperatoris, Rex Romanorum in imperatorem benedicatur solemniter ab Eugenio papa. Eodem anno archiepiscopus Magdeburgensis cum clero suo expellitur. Eodem anno, eclipsis Solis hora vespertina tuerat.

Anno Domini MCCCCXXXIV, Bohemiae regnum occisis funditus haereticis Hussitis cum suis capitaneis Procopio & Wulfino ad fidem catholicam revertitur, à qua per decem & septem annos in diversis sectis & haeresibus miserabiliter erraverat. Eodem anno, *Bernhardus Dux Brunswicensis & Luneburgensis obiit.*

Anno Domini MCCCCXXXV, Magdeburgensis Episcopus cum clero suo in pace honorifice reducitur.

Anno Domini MCCCCXXXVI, Borchardus episcopus Halberstadenensis eligitur.

Anno Domini MCCCCXXXVII, caristia magna viguit.

Anno Domini MCCCCXXXVIII, Albertus dux Austriae in regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCCXXXIX, pestilentia universalis grassabatur per totum orbem. Anno eodem Hestede à duce Saxoniae capitur.

Anno Domini MCCCCXL, Fredericus dux Austriae in regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCCXLI, in vigilia Visitationis virginis Mariae, de vespere, hora quasi septima, ventorum magna orta fuit tempestas; quam haud longe post grandines in quantitate duorum vel trium ovorum descendentes non modica in aedificiis, fenestris ecclesiarum, in animalibus, segetibus, caeterisque bladis damna inferentes comitabantur.

Anno Domini MCCCCXLV, obiit Otto dux Brunswicensis & Luneburgensis.

Anno Domini MCCCCXLVI, ante festum Nativitatis Domini, Discordia civium & rumor magnus erat in hac civitate: & multi de civibus compulsi abiurarunt civitatem, & sic sedata fuit discordia.

Anno Domini MCCCCXLVII, Nicolaus Papa quintus eligitur. Eodem anno tres circuli albi visi fuerunt circa Solem, in ortu Solis meridie & occasu, in vigilia Ascensionis Domini. In hac aestate venerunt Bohemi ad terram Saxoniae & Westphaliae, exactionantes multas civitates.

Anno Domini MCCCCXLVIII, eclipsis solis erat hora meridiei, circa festum Aegidii.

Anno Domini MCCCCXLIX, Felix papa electus à concilio Basiliensi resignavit: & factus est *supremus cardinalis* seu legatus per totam Franciam Nicolai quinti. Eodem anno, pestilentia successive circumgyravit omnes terras duras per aliquot annos.

Anno Domini MCCCCCL, fuit annus Jubilaeus in Roma. Eodem anno, in die pentecostes canonizatus fuit frater *Bernardinus* ordinis fratrum minorum.

Anno Domini MCCCCCLI, *Nicolaus de Chusa* cardinalis per Alemanniam legatus in multis locis praedicavit, & veniens ad castrum *Wulfenbentel*, ad instantiam Heinrici ducis, cujus tunc filiam sacro chrismate linivit, indulgentias Jubilaei Brunswig concessit. Item appulsum majoris campanae ecclesiae sancti Martini hora undecima omnibus sextis feriis omnibus incolis hujus civitatis, tunc ter dicentibus Pater noster in memoriam mortis Christi concessit C. dies indulgentiarum. Item omnibus sacerdotibus dominico die in missa post primam collectam sequentem clausulam, scilicet. *Et famulos tuos N. papam nostrum & N. antistitem nostrum una cum ecclesia catholica ab omni adversitate custodi, subjugentibus, quinquaginta dies indulgentiarum contulit.*

Anno Domini MCCCCCLII.

Anno Domini MCCCCCLIII, *Constantinopolis* à Turcis capitur, in qua omnibus Christianis ab annis sex supra interfectis, imperator Graecorum occiditur. Insuper alii circiter 60. milia viri in captivitatem ducuntur, crucifixusque abominabiliter ab impiis illuditur.

Anno Domini MCCCCCLIV, consulatus *Luneburgensis* est depositus, & novus electus. Eodem anno, Nicolaus papa moritur, & Calixtus natione Cathalonienensis electus est. De quo infra.

Anno Domini MCCCCCLV, ecclesia *S. Martini* (a) propter duorum plebanorum excommunicatorum litigationem qualiper biennium stetit clausa, nec divina ibi celebrabantur: parochianis vero Sacramenta in ecclesia *S. Michaelis* ministrabantur.

Anno Domini MCCCCCLVI, in regno Siciliae civitates plures & villae à *terramotu* perierunt & in Neapoli, Capua, & Beneventana, & aliis civitatibus & locis, propter eandem plagam turres & domus multae corruerunt. Homines etiam ad 7000. & eo amplius similiter oppressi sunt.

Anno Domini MCCCCCLVII, in nocte Sanctorum Gordiani & Epimachi nix gravis cecidit, quae arbores magnas fregit, frumenta agrorum stravit. Et fertilitas magna eodem anno sequuta est.

(a) In Brunswig.

ta est. Item anno eodem frater *Vicentius de ordine predicatorum* per Calistum papam canonizatus est, sicut idem sanctus in juvenili ætate prædixit eidem.

Anno Domini MCCCCLVIII, reliquia sancti *Autoris* & aliorum sanctorum de archa cuprea ad argenteam sunt translata: Dominica *Lætare*, & festum *Patronorum* institutum est. Eodem anno celebratum fuit capitulum in *Brunswick*, fratrum minorum circiter per CCC. patres: feceruntque processionem solemnem ad multas ecclesias, stationemque in foro antiquæ civitatis. Eodem anno consilatus antiquus *Luneburgensis* cum CXXX. civibus à Papa Calisto usque ad quartam generationem fuit maledictus propter juramenti transgressionem, bonorum ecclesiarum in *salina* spoliacionem, & quorundam suorum burgensium innocentium occisionem. Eodem anno, in die Purificationis in partibus *Thuringiæ* visi sunt tres Soles. Item visus est Sol divisus per modum crucis. Similiter in nocte tres Lunæ apparuerunt. Isto anno Calistus Papa moritur. Hic pro expugnatione crudelissimi hostis Christiani nominis, regis *Turcorum*, missas, orationes & certas processiones omnibus ecclesiis per totum orbem instituit, quas magnis indulgentiis dotavit. Hic post mortem à *Cathalonis* quasi vivus aliquandiu custoditur, donec sublati omnibus in auro & argento cæterisque parametis pontificalibus mare intrarent, cadavere mortuo relicto: sed potestas Romanorum eos insequuta est, & quasi omnia reduxit.

Eodem anno, rex *Bohemorum* ultimus, ejusdem regni verus hæres, veneno intoxicatus occubuit. Item *Borchardus Halberstatensis Episcopus* defunctus est. Item *Thuringi* cœperunt duo castra prope *Göttingen*, videlicet *Gunda* in (a) *Bramborch*. Eodem anno, Pius in papam eligitur. Hic pro tuenda fide Christi contra *Turcorum* imperatorem omnes Christianos principes pro re tam sancta in unum convocavit, ad unam de his duabus civitatibus *Mantua* sc. & *Utinum*.

Anno Domini MCCCCLIX, Dux *Wilhelmus* cepit castrum *Springk*.

Anno Domini MCCCCLX, statim post festum Nativitatis Christi incepit pestilentia satis rara & insolita, quia viri fortes in ea moriebantur, & pauca mulieres: de pueris vero valde raro aliqui obierunt. Propter hanc pestem in *Quadragesima* proxima missa pro pestilentia cum certis precibus per omnes parochias decantabatur in civitate *Brunswicensi*, isto modo. Omnes præcones nudis pedibus stabant, candelas ardentes in manibus tenebant. Per tres dies quibus missæ celebrabantur, jejunaverunt, & quarta die in pane & aqua. Unde Dominus placatus misericorditer & mirabiliter populum exaudivit: & statim vindicta hæc à populo cessat.

Eodem anno, frigus in tantum invaluit, ut ante festum *Paschæ* & aliquibus diebus post, nec arari, fodi aut seminari quicquam potuit. Post hoc fuit nimia siccitas, ut nec gramina pratorum abundarent, unde etiam pecora multorum fame vexabantur. Item III. chori avenæ pro *marca Brunswicensi*, vendebantur. Eodem anno die *Paschæ* in oppido dicto *Blomberg*, mulier quædam hodiæ consecratas à presbytero in altari derelictas furata est propter quasdam incantationes cum ea faciendas: tandem nimium perterrita in fontem vicinum projecit, & miraculose reinventæ fuit. Eodem tempore propter intempestatem & grandinem segetes ibidem per quinque milliaria in longum & latum perierunt. Hanc miseriam inopinata & cara venditio frumentorum sequuta est: ita ut etiam in civitate *Brunswicensi* XIV. modii *siliginis* pro *marca* vendebantur, & pistorum dominica die cogebantur panes pistare propter vulgus undecunque adveniens. Item in vigilia Apostolorum *Petri & Pauli* horribilis tempestas & ventorum flatus inauditus est exortus: unde multe arbores frangebantur, à terra evellebantur, per medium scindebantur, & quam longe à trunco projiciebantur: tecta de domibus impetuose jactabantur.

Anno Domini MCCCCLXI, Episcopus *Moguntinensis* dictus de *Eisenburg*, à Papa Pio depositus, & quidam dictus de *Assaw* in loco ejus surrogatus. Hi duo episcopatum miserabiliter depopulaverunt, guerras inter se habentes. Tandem de *Assaw* occulte & proditiose civitatem nocte quadam ingressus eam cepit, clericos miserabiliter exulati fecit, divitum multos occidit, domus eorum spoliavit, & sine misericordia in eadem civitate contra populum grassabatur. Eodem anno, incepit pestilentia in *Nuremberga*: anno sequenti in *Erfordia*: & sic continenter per tres annos circumgyravit per multa loca.

Anno Domini MCCCCLXII.

Anno Domini MCCCCLXIII, denunciatum fuit passagium in Decembri per Pium Papam contra *Turcos*, & maxime in partibus *stagnalibus*. Unde sequenti anno super festo *Paschæ* cruce signati per villas & civitates currentes in magnis exercitibus *Anchonam* properabant. Sed ibi venientes progressum habere non valuerunt: quia Papa propter infirmitatem, & propter absentiam quorundam principum qui venire promiserant, passagium per se expedire, & inire obmisit.

Anno Domini MCCCCLXIV, Pius Papa in *Anchona* mortuus est, & ab ea civitate usque *Romam* delatus. Eodem anno, *Paulus secundus*, qui prius *Petrus* vocabatur, electus est. Hic mutavit sigillum plumbeum papale. Nam antea semper duo capita sc. *Petri & Pauli* uno latere continebat, in alio autem latere nomen papæ tantum: nunc vero stat in latere uno quasi imago papæ

Ffff 3

papæ insulati coram populi multitudine, in alio duæ imagines oblongæ Apostolorum & Petri & Pauli.

Anno Domini MCCCCLXV, in castro Kalenberge (ut testimonio quorundam sacerdotum habui) sanguis desuper in modum pluviae cecidit in longitudine & latitudine XX. passuum, ita ut etiam vestimentis quorundam inhaereret. Eodem anno, dux Burgundiae civitatem Dinant destruens, terræ penitus adæqvavit. Anno Domini MCCCCLXVI, dux Burgundiae cepit civitatem *Leodiensem*, & destructis muris exactionavit eam ad plus quam quater millia florenorum. Horum medietatem cives dederunt, aliam recusabant. Obsides autem & fidei iussores qui erant de civitate, videntes quod non liberabantur, consilium duci dederunt non in bono. Et ex toto civitatem ignefecit conflagrari, ecclesiis Dei & monasteriis vix exceptis. Ad quas tamen quidam maligno spiritu ducti spoliando intrabant, & optimis *sammittis* ac cæteris vestibus divino cultui dicatis inde ablatis, visui suo applicabant. Nec eis divina ultio absuit: quam cito enim has attemptabant, multi eorum amentes, multi arreptitii effecti sunt: propter quod multi vestes sacras ecclesiis suis restituebant. Inde ut alter Herodes in innocentes in suâ delævit, quos omnes (ut dicunt) navi impositos, sine remige sine gubernatore abire dimisit in incertum.

Anno eodem, civitates Brunswich, Hildensem, *Göttingen*, *Honover* cum cæteris civitatibus quæ vulgo de *Hense* nuncupantur, intraverunt terram ducis *Friderici* propter hoc, quia multoties negotiatores per vias publicas, & stratas regias incedentes molestabat, bona ipsorum in castris adducendo, ubi ad libitum victoria potita, castroque *Moringe* cum suo oppido pro damnis datis in suam potestatem accepto, regressi sunt.

Anno Domini MCCCCLXVII, dux *Fridericus* pacis datæ oblitus, iterum bona quorundam negotiatorum ac aliorum magno nomine accepit, duxitque per terram patris sui videlicet *Wilhelmi*. Ideo civitates supra dictæ suspicatae sunt, quod ipse assentiret factis filii, missisque literis diffidentiae intraverunt terram suam prope *Kalenberg*, ibique villis conflagratis, quibusdam etiam nobilibus captivatis, redierunt ad propria. Inde Dei nutu bella huiusmodi ac discordiæ ducum & civitatum expensis datis miserabiliter sopita sunt.

Eodem anno, à fundamentis aquarum ante valvam *S. Magni Brunswicensis* (sicut jam aliquot annis elapsis ante alias valvas) erexerunt turrim fortissimam, ut hodie cernitur. Eodem anno Dominus *Heinricus Osterrot* plebanus in *Roten*, Met secundus missus est Romam pro confirmatione abbatis impetranda, in qua ambaziata fidelis extitit: expeditque totum negotium in curia in duodecim diebus. Sed nimis triste quiddam accidit: quia ambo infirmi Romam crevit: ambo in via mortui sunt. Huiusmodi rumores ad aures nostras in die *Nicolai* ejusdem anni devenerunt. Eodem anno Dominus *abbas hujus monasterii* per ducem invitatus, solemniter in capa aurea & insula decoratus copulavit filiam ejusdem ducis *Margaretam* nomine comiti *Friderico de Henneberg*, tertia feria post *Idus* mihi in castro *Wulfelbuttel*.

Anno Domini MCCCCLXVIII, ex commissione facta abbati hujus monasterii (a) per reverendissimum cardinalem de latere, tunc *Wratislaviae* existentis, publicatae sunt in hoc monasterio, Dominica quinta post Pentecosten, indulgentiæ plenariæ remissionis semel in vita, & semel in morte, ut quicumque daret pro extirpatione hæresis *Bohemorum quantum in quatuordecim libris pro se, & familia sua consumeret*, earum particeps fieret, religiosi etiam & alii qui omnino nihil haberent, orationes & certas processiones tunc expressas facerent. Sed quorum intererat de trunco vel cista pro collectione oblationum ponenda non concordabant: ideo nemo se habilem fecit, unica honesta domina excepta. Revocatæ fuerunt eodem anno in profecto sancti Authoris.

Eodem anno discordia permaxima fuit inter episcopum *Halberstatisensem*, & cives ejusdem civitatis: ita ut totus clerus reliquiis sanctorum & optimis clenodiis ad tuta loca secrete destinatis ipsam etiam civitatem relinquerent.

Item anno MCCCCLXVII, de quo supra, post *Michaelis* apparuit cometa longe sursum in signo *Piscium*, quasi orta esset sub signo *Cancris*, sed rarissime videbatur, quia erat tempus tunc pluviosum, & misit comam suam versus orientem. Et in tantum pluit, quod pauci ante festum omnium sanctorum seminare valebant, sed quidam post *Martini*, quidam post *Nicolai* quia hyemis temperata fuit, seminaverunt. Et crevit quidem herba, sed non fecit fructum centuplum.

Anno Domini MCCCCLXIX, Dux *Heinricus* fecit quasi regales nuptias filiae suæ in civitate *Brunswich*, & vocavit multos. Intravitque sponsus, adjunctis sibi *Lantgravio Thuringiae* cum cæteris nobilibus, civitatem hanc Dominica post omnium Sanctorum: & portis civitatis sancti *Ægidii* & sancti *Magni* obseratis, solum pro eorum introitu & exitu patebat valva lapidea, id est *Steindor*. In hac solemnī sed insolita susceptione hospitem stabant cives, ad hoc ordinati per proconsules suos, omnes in statione sua armati, alii autem excubias nocturnas observabant. Continuatū fuit convivium nuptiarum in quartum diem, & abierunt hospites, unusquisque in sua.

Eodem

(a) *S. Ægidii,*

Eodem anno conversionis Pauli quidam incola in *regali Lutere* serotino tempore (nescitur per quos spiritus) raptus fuit de curia sua, dictusque ad locum vulgo des Hertoghen hoff in cho-ream terribilem, ut fatebatur. Vidit enim ibi quamplures nobiles ante longa tempora mortuos: quapropter ad se reversus cruce se signavit, & sic dimissus ad quandam sepem cecidit non sine gravi vulnere. Eodem anno Dominica Cantate duo cives Halberstadenfes, filii Belial, retro accedentes quandam presbyterum, in iure canonico cæterisque scientiis pluribus eruditum, de muro retro capellam sancti Petri in eadem civitate misere ab alto præcipitaverunt usque ad aquam vulgo Holtemmer subtus defluentem, ibique cerebro capitis effuso in brevi mortuus est. Eodem anno Dominica post Ægidii Brunswicenses ceperunt castrum dictum *Thun*, Friderico de Langel-de tunc domino castri certis de causis expulso.

Anno Domini MCCCCLXX, minui cepit potestas nobilium de *Veltheim*. Nam hoc anno statim post Nativitatem Christi captum est castrum *Sladem*, quod tunc tenuit Clamer de Veltheim, per quosdam dictos de *Neindorpe*, cum adiutorio dictorum de *Bertensleve*: qui omnes castro in frumento & victualibus aliisque suppellectilibus spoliato, & ad propria deductis, tandem etiam ipsi abierunt. Postea vix octo diebus elapsis, Episcopus Magdeburgensis cepit castrum Herbeke domino Guncellino de Veltheim ibidem humiliato.

Anno Domini MCCCCLXXI, primo Sixtus quartus in papam eligitur, qui antea voca-batur Franciscus, & erat magister generalis ordinis fratrum minorum, creatus in cardina-lem tituli sancti Petri ad vincula. Cui Papa Pius, audita solemnī disputatione pro utraque parte in Roma, per fratres ordinis prædicatorum tenentes quod Christus resumpsit omnem suum san-guinem, & per fratres minores tenentes quod non resumpsit omnem sanguinem, commisit examen ambarum partium & quicquid ipse finaliter teneret, ad eum scriptis suis offerret. Quam commissionem idem Sixtus cardinalis summa cum diligentia expediens, obtulit scripta sua sum-mo pontifici corrigenda. Papa vero Pius, perlecto opere suo super sanguine Christi relicto, ad tollendam contentionem confecit, quandam bullam quæ habetur apud fratres minores provin-cie Thuronie. Cujus etiam copia est *hic in nostro monasterio*. Idem papa Sixtus postquam ele-ctus fuit in papam, *reassumpsit* statim *sigillum antiquum Papæ*, scilicet duo capita Apostolorum Petri & Pauli, quod prædecessor suus Paulus mutaverat, ut supra dictum est.

Idem Sixtus anno pontificatus sui secundo, instituit celebrari per universum orbem festum sancti Francisci, dans omnibus idem festum celebrantibus sub duplici officio quinquaginta annos, & totidem quadragenas. Eodem anno obiit *Helen* nobilis ducissa, uxor ducis *Henrici de Brunswig Laneborg*, filia ducis de *Cleve*, octava Apost. Petri & Pauli.

Anno Domini MCCCCLXXII, post festum Epiphaniæ apparuit *cometa* miræ magnitudi-nis & multorum radiorum sub signo Libræ, dirigens radios suos versus Occidentem. Et octo diebus sic elapsis, repentine ascendit versus polum arcticum & stellam Martis usque ad aliam par-tem Zodiaci: ubi tunc apparuit sub signo Arietis, dirigens radios suos versus Orientem: circum-volvebatur cum Zodiaco ad motum firmamenti sub signo Arietis, manens ad duas hebdomadas: & tunc successive immorabatur, ita quod in die sancti Valentini vix videbatur in nocte. Eodem anno in die Gervasii & Protasii in civitate *Erffordense* quingentæ domus & amplius cum ecclesia be-ate virginis ibidem & ecclesia sancti Severi cum omnibus domibus adhaerentibus sunt concremata, igne (pro dolor) per malos homines instigatione *Apel Visdom* diversis in locis locato.

Eodem anno *pestilentia magna* viguit in *Eimbicke* & in *Göttingen* per totam æstatem, & hyeme sequente venit *Hildensheim* & ad loca vicina, duravitque ibidem ultra annum cum medio. Eo-dem anno obiit *Ernestus de Schömborch* Episcopus Hildesheimensis, & canonici elegerunt in ma-gna discordia, nunc Landgravium Hassiæ, nunc ducem Magnipolensem in Episcopum assumen-tes: sed decanus ecclesiæ cathedralis ibidem *Henningus von dem Huß* confirmatus fuit à papa Si-xto, & Episcopus permanfit.

Anno Domini MCCCCLXXIII, Fredericus imperator venit Treverim cum filio suo Maxi-miliano, & per *Carolus Burgundus* honorifice tractatur. Petit ibidem Burgundus coronari in regem super antiquam Burgundiam. Quod cum Imperator recusaret, factum est ut non respon-derent ultima primis. Eodem anno viguit *pestilentia in Brunswig* tota æstate: sed heu gravis erat huic monasterio. Obierunt enim de nostris fratribus fortiores & adolescentiores sacerdotes se-pem numero. Inde vix anno elapso obiit senex noster cum duobus aliis sacerdotibus monasterii nostri. Eodem anno introductæ sunt solenni cum procesione totius cleri & populi *reliquiæ sancti Sebastianis martyris* per fratres Præmonstrantensis ordinis in civitatem præsentem, promovente hoc serenissimo principe ac *Duce Henrico*. Prima statio cum missa ad honorem martyris factæ fuit in hoc monasterio altera die Trinitatis: post ad sanctum Blasium: inde ad sanctam Catharinam: exinde ad sanctum Martinum. Eodem anno *fratres Cellite*, alias dicti fratres voluntate pæupe-res maximam penuriam patiebantur, non habentes qui custodirent aut vigilarent super infirmos suos: quod quidem officium respicit dictos fratres: dataque eis fuit habitatio in *Dammone*, ut hodie cernitur.

Eodem

Eodem anno in nocte Conceptionis beatæ virginis obiit in hydropisi nobilis ac strenuus dux *Heinricus*, qui toto tempore vitæ suæ fuit amator & princeps pacis, sepultusque est ad sanctum Blasium in sepulchro patrum suorum: ubi abbas nostri monasterii in insula cantavit missam defunctorum, faciensque commendationem & cætera funeralia cum duobus decanis sanctorum Blasii & Cyriaci.

Anno Domini MCCCCLXXIV, ipso die Johannis Evangelistæ post Nativitatem Christi, dux *Wilhelmus senior* reacceptat castrum *Wulffesbutel* cum toto ducatu Brunswicensi, introductus solemniter per consulum Brunswicensem, claves ei præsentantem per ducem *Heinricum* ibi in fine mortis commendatas: ut sic testamentarii efficaces dicti ducis defuncti esse possent, pariter & executores: quod alias recusassent.

Eodem anno venit pestilentia in Halberstat & Luneburg.

Eodem anno ipso die Panthaleonis, *Carolus dux Burgundia* obsedit civitatem Nussiam quæ ad integrum annum, oppugnansque eam fortiter perdidit populum multum de suis: quorum corpora ibidem arena jacent sepulta: plurima etiam Rheni fluvius absorbuit.

FINIS COMPENDIOSÆ CHRONICÆ AB
authore anonymo collectæ.

XXIII.
SYLLABVS ABBATVM WERTHINENSIVM
VM ET HELMSTADIENSIVM

AVTORE

FR. HENNINGIO HAGEN.

Ex MSTO.

Frater Henningius Hagen Helmstadiensis professor Monasterii S. Ludgeri prope Helmstedten.

[Alia manu sequebatur:]

Cum Psalmista dicat regius, Confratres in Christo, cui simul militamus, charissimi; memoria erit justus, nullumque sit dubium, nostros antecessores, qui piis præteritis seculis vixerunt, viros justos fuisse, mihi Helmstadii commoranti visum fuit bonum, inventum illic catalogum Abbatum pro illorum memoria renovanda ex invento illic copiali, & aliunde, aliquantulum dilatare hisque foliis vacuis in scribere. Vestræ Charitati meam operam placere peropto.

Nobilissimæ stirpis S. Ludgeri sex Episcopis memoria dignissimis inter divos relatis voluntate divi Imperatoris, Ecclesiæ Werdenensis Conventuales sive Capitulares ex suo gremio eligerunt, juxta regulam S. Benedicti à S. Ludgero illis traditam in Abbatem utriusque Ecclesiæ pium discretumque fratrem nomine.

1. Audolphum (cognomina sæculo isto pio non adeo fuere curata) qui ad exoratum per S. Episcopum Ludgerum ab Imperatore mantenentiam, ab Imperatore regente in turelam susceptus, ab Episcopo diocæsano confirmatus, & ab utraque Ecclesia intronizatus annis paucis supervixit.

2. Secundo nomen fuit Hembilis,

3. Tertio Adaldagus,

4. Quarto Odo sive Otto,

5. Quinto Hogerus,

6. Sextus Hildebrandus, generosus Brabantinus,

7. Septimus nominatus Adalbrandus.

8. Octavus Weris.

9. Nonus, Wiggerus, nobilis Saxo.

10. Decimus, Wigo, generosus Frisiæ.

11. Undecimus Reinners nobil. monast. qui exoravit huic monasterio ab Imp. Ottone

Decimas.

12. Duodecimus Engelbertus, nobilis Saxo.

13. Decimus tertius Volmarus generosus de Hennenberg.

14. Ludolphus generosus Frisiæ,

15. Werin-